54636/B

50

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

MEDICI QVONDAM SVMMI

OPIOLOGIA

AD MENTEM

ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM

EDITIO TERTIA.



IENAE

SVMPTIBVS IOH. FELICIS BIELCKII

M DCC XXXIX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO AD LECTOREM.

ACtum agere videbar mihi, & iliada, quod aiunt, poſt Homerum ſcribere, cum de OPIO tractare ſuſtinerem, adeo rem omnem penitus exhauſiſſe iam videbantur *Döringius*, *Sala*, *Hartmannus*, *Pelshoferus*, *Winclerus*, *Freitagius*, *Tillingius*, & reliqui, qui ex profeſſo de eo ſua ediderunt.

Dederam nihilominus fidem Societati noſtræ, præcipue cum ante hos quaſi octo annos in ſuperiori cathedra publica velitatione primam admouiſſem manum. Reſtabat dubia actio & virtus vnde dependeret, dubia præparatio, quænam ad praxin magis genuina, dubia methodus eadem adhibendi, dubia alia.

Nolebam tamen cuiquam quid detrahere; vnde vt ſua relinquerem ſingulis, vix auſus ſum extantia de eo ſcripta curatius vel evolvere, vel excerpere, eo ipſo licet non κατὰ πόδα leges Societatis noſtræ ſequi potuerim, cum ex tanta meſſe ſpicilegium fere tantum relictum ſit.

Grauitate membrorum & cruciatu dolorum ſi quis quem levet, magnam inire gratiam ex *Tullio l. 4. de finib.* noram, graues vero eſſe ſolere offenſiones, ex grauibus medicamentis, ſi quæ culpa committatur; hinc quæ ex praxi clinica innotuerant mihi, videbantur vel ſaltim hac in parte operæ pretium, vt innoteſcerent.

Vt Ageſilaus ȣ μὴν ὕπνῳ γε δεσπότῃ, ἀλλ᾽ ἀρχομένῳ ὑπὸ τῶν πράξεων ἐχρῆτο, *ſomno non vt domino, ſed eo qui negotiis ipſius pareret, vtebatur;* ita & opium impendendum ratus ſum, vt nec imbecillior medicina ſit quam morbus, nec gravior.

En opium, quod ante biennium quidem luci exponendum decreueram, ſed & itineribus abreptus, & loci muta-

tionibus impeditus, vt de negotiis concatenatis dicam nihil, nunc demum ſoluo fidem. Fruere his, ſi placet, Lector, & promiſſa a nobis alia, vt *Platonico* vtar voto, *ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ*, in poſterum expecta.

Nil arcani venditauimus, nec ſi naturæ ſecreta in receſſu quodam intueri licet nobis, integumentis atque inuolucris offundere tenebras ob eorum oculos animus eſt, qui iſta legere dignantur. Publico omnia debentur bono, & artis, præcipue vero, quo omnia collimare debent, praxeos incremento. Si id impetrauero, ſatis eſt, vel tantillum acceſſione noſtra adpoſitum; ſin minus, voluiſſe etiam ſat erit.

Cumque par ſit eos, qui generi humano res vtiliſſimas conquirere, & perpenſas exploratasque memoriæ tradere concupierint, CVNCTA TENTARE, aſſerere nobis ſancte licebit, quæcunque protulimus, praxi & experientiæ eſſe ſuperſtructa, & ſine fuco vel affectatione ſingula prolata. Si quæ deſunt tentamina, non otio vel inertiæ adſcribendus eorum defectus, ſed negotiis. Quæ vero ſequi poſſunt & elici plura, ex primordiis hiſce propullulare facile eſt.

Concludimus verbis *Scaligeri patris l. 1. de plant. pag. 63. & 176.* Nos in omnibus occaſionibus, quæ ſeſe offerent, ad officia literaria præſtanda, nullum periculum recuſamus; laudem nullam quærimus: culpa volumus vacare. Quin enixe petimus, atque etiam oramus, vt viciſſim abſque contentione, ſed humane & liberaliter vnuſquiſque conferat in medium, quod habet ad reipublicæ medicæ incrementum. Quantum enim ſapientia & eruditione cedere videmur ingeniis felicioribus, tantum pudore certare, animi candore atque modeſtia ſuperare certum eſt.

Vale Lector, & conatibus noſtris faue.

Dab. e Muſeo Cal. Octobr. 1674.

Inciſi

* * * * * *
* * *

INciſi fundunt capitella papaveris ex ſe
ſomniferas lacrymas, Opii ſub nomine claras:
Illud reſtituit lapſas in priſtina vires
exhibitum caute, & cluet anchora ſacra Medentum;
Sin minus, eſt gladius, quem geſtat dextra furentis.
Hic *μήκωνος ὀπὸς* doctiſſima pectora torſit
hactenus: an caleat, vel frigeat, ardua lis eſt:
Afflictis tuto num ſumi poſſit ab ægris?
An calidum exſtinguat vitale? vel irritatum
ſopiat Archæum, rabidum mulcendo furorem?
More venenorum num lædat corpora? vel qua
parte ſuæ maſſæ narcotica munia præſtet?
An agat occultis virtutibus, an manifeſtis?
His inſudatum eſt tot ſecula perpete niſu:
Nemo tamen certa potuit ratione docere
manſurum & concors circa meconia verum.
Eruit e latebris æterno nomine dignus
omnia WEDELIUS: præclaris ejus Apollo
auſibus adplaudit: Medicorum ſplendidus Ordo
debet ei multum, & victricem porrigit herbam.
Te DEUS incolumem ſervet, precor, inclute Fautor,
Ut commune bonum, multi curentur & ægri.

Nobiliſſimo & Excellentiſſimo

DN. D. G. W. WEDELIO,

in illuſtri Salana Profeſſori P. famigeratiſſimo, S. Rom. Imp. Acad. Naturæ Curioſorum Collegæ graviſſimo, Fautori ſuo plurimum honorando, Opiologiam cum adplauſu edenti, paucis hiſce raptim gratulabatur Erfordiæ d. 27. Septembr. An. 1674.

GEORGIUS CHRISTOPHORUS PETRI,

D. Med. Electoral. Mog. & Erfurtenſ. Ordin. Fac. Med. p. t. Decanus.

Ad

Ad Excellentiſſimum

DN. D. WEDELIVM,

AMICVM ET COLLEGAM PL. HONORANDAM.

Quid ſit, qua fiat methodo, quem præbeat uſum
Sal, *quod vocant* volatile
Plantarum *tenus hac ſcito maletemate monſtras*
Pro more, Fautor Optime.
Quæ natura Opii, *quæ concinnatio, & uſus*
Qui ſit, labor nunc hic probat.
Ingenium redolet, cum Opio Sal *jungere noſſe,*
Ut artis eſt, volatile.
Judicium ſapit, in praxi uſurpare remiſta,
Ægris & hinc mederier.
Utroque excellis.Sic laudem fama parabit,
Ægrotus & ſoſtrum dabit.

Feſtinab. ſcrib. Gorlicii Luſat.

EHRENFRIDVS HAGENDORNIVS,
Med. D. Acad. Curioſ.

PRÆ-

PRAEFATIO ALTERA.

DUm luci publicæ denuo exponimus Opiologiam, pauca ſunt, de quibus benevolus Lector monendus venit. Noluimus ſtudio vel quicquam addere vel mutare, ſi levia quædam exceperis, quæ in prima editione jam inter errata vel addenda reponi potuiſſent.

Erant ſane, quæ id ſvaderent non pauca, ad illuſtrandam virtutem, agendi & præparandi modum, ex obſervatis aliorum & propriis, aliaque. Imo & conſulti ex primis amicorum amice quædam monuerant, & ſub manu quaſi nata experimenta invitabant calamum, ut reliquis jungerentur. Abſtinui vero pluribus de cauſis.

Præſtare videbatur librum, tanquam ingenii fœtum, ſemel cenſuræ publicæ Lectorum commiſſum, ſibi relinquere, nec reformare, ut an idem an alius ſit, neſcias. Non hic mos veterum erat, non noſtro ſaltim quadrat genio, vel ſeculo.

Satius viſum eſt laudare alio loco convenienti, ſive, (ut vel unicum tangamus in ſingulis claſſibus exemplum,) per fermentationem ſimplicem cum ſucco cydoniorum elegantiſſimum laudanum, citra additionem ullam, liquidum tamen magis quam ſolidum, conſurgere αὐτοψία edocti ſimus, quod menſtrui aquei dignitati nil derogat; ſive plantarum venenum in genere conſiſtere in vaporoſis effluviis; ſive in diverſis affectibus felicia experti opiata.

Tacemus magis inde uſque exculta ſeriduca vaſcula, glandularumque doctrinam, imo ipſa quædam minus ad rhombum dicta, vel aliter paulo explicanda. Quin in aliis ſcriptis noſtris hinc inde inſeruimus tales floſculos. Judicanda ſunt omnino ſingula illa ex ætate autoris, nec ideo tamen transformanda.

Decurrerunt quoque alii inſigniſſimi viri interim hoc ſtadium, ſuoque labore pondus contulerunt non leve &

cla-

clavem felicius de opiatis ſentiendi, quæ deſiderio cujuscunque facere poſſunt ſatis.

Hos inter nominamus OLAI BORRICHII *Diſſertationem de ſomno & ſomniferis, maxime papaveraceis*; MICHAELIS ETMÜLLERI *Diſſertationem de vi opii diaphoretica*; & JOH. JAC. WALDSCHMIDII *monita medica circa opii & opiatorum uſum*, quorum Excellentiſſimorum Virorum nomina eruditio orbi dudum notiſſima fulgent, ut plura non citemus. Præcipue vero laudatum *de vi opii diaphoretica Celeberrimi* ETMÜLLERI noſtri Tractatum placuit, ex humaniſſima conceſſione, editioni huic jungere, ut conjunctim lucem denuo videat.

Cumque interim maturius fatis conceſſerit FOGELIUS, medicus Hamburgenſis famigeratiſſimus, vix ſperare licuerit promiſſum olim de Turcarum nepenthe librum, ab aliis forſan reſumendo labore.

Commodus nobis viſus fuit ad virtutem opii quoque & purgantium, aliorumque explicandam canon: reſinas non agere niſi ſolutas, quod de ſalibus alias prædicari receptum eſt; ſed illum quoque alteri occaſioni reſervare maluimus.

Indicem tandem, qui deſiderari videbatur magis, junximus velut appendicem, ut libri contenta unico intuitu paterent lecturo.

Minime omnium vero mens fuit ſerram litigioſam reciprocare, ſicubi ab aliis vel tacta noſtra hypotheſis ſiniſterius, ſive diverſum vel etiam contrarium ſentire amicos legere detur.

Horret enim ab hiſce animus, nec Dictatorem agere noſtrum eſt, vel cenſorem, ſatius ducentes officia reponere, vel ſtabilire theſin experimentis pluribus, vel dimittere quoque, quam turbare legentes. Vale Lector, & nobis fave. Dab. e muſeo Jen. 1682. Cal. Mart.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

PROOEMIVM.

VAriæ opiniones in foro medico circa delectum medicamentorum ſimplicium circumferuntur. Opiniones de ſimplicibus variæ:

Sunt, qui domeſticis contenti remediis, extera ceu ſordes barbaras ſpernunt. Evenit ſæpius, ut mortalibus domeſtica ſordeſcant, peregrina vero & remota chara ſint & deſiderata. *Guil. Gilbert. de magnet. l. 3. c. 1. p. 117.* Alii domeſtica præferunt.

Fruamur, *inquiunt iſti* cum *Hollerio*, more majorum, natura nobis domeſtica & familiari: legatur materia nobiſcum edita, quamque vltronea natura promit. Aliis autem remediis veluti externa manu & auxiliaribus copiis raro uti conveniret, apud *Libav. contra Guibert.* immo orbi noſtro plantas mirandarum virium non denegatas, & juxta *Plinium l. 22. H. N. c. 23. & 24.* it. *l. 24. c. 1.* meliora interdum iis, quæ ab extero petuntur orbe, cœnare olitorem. 1.

Non opus eſſe contendunt vero medico, huc atque illuc oculos ad diverſa circumflectere, ſed inſtar pudicæ virginis in terram habere defixos: in hac enim ſub pedibus longe plus virium opumque hoc in theſauro naturæ, quam India, Ægyptus, Barbaria, Græciaque ferant, inventurum. *Dornæus de generat. mineral. c. 14. p. 633.* 2.

Hinc illa querela: Ut diſſolutis deliciis ſtomachus non admittebat coditiana, quæ ſatu blandirentur no- 3.

ſtro, & paſſim obvia alimenta, ſed ab ultimo portanda erant oceano, quæ ſaperent faſtidienti gulæ: ita Arabia ac India in medio æſtimatæ ſunt, & parvo ulceri medicina inde uſque a rubro mari importata, cum remedia vera cotidie pauperrimus quisque cœnaret. Si ex horto petita eſſent, aut quæſita herba vel frutex domeſticus, jam nulla artium erat futura medicina vilior. Durat iſt-hæc perſvaſio perniciosa atque perverſa, non ſolum in maxima vulgi parte, ſed una cum ſeculis inveteravit etiam in medicorum animis, prodeſſe niſi pretioſa non poſſe; ideo aſpernantur vernacula, peregrinis & externi orbis remediis inhiantes. Tam procul deſcitum eſt a ſimplicitate veterum, quæ ſolis herbis in medicatione contenta fuit. *Salom. Albert. orat. de herbar. cognit.*

4. Ita ſcilicet quæ habemus, contemnimus, quæ non habemus, magnifaciamus. Ita quærimus interdum, quod habemus; quod abeſt, habere putamus. Raritas enim conciliat rebus admirationem, & externa neſcio quo fuco ſe adornant, & plerumque notis patriæ rebus beatiora videntur. *Vid. Barcl. ſatyric. part. 1. p. 3. & part. 5. p. 512.*

alii peregrina mirantur. Contra hæc *inſtantes hi*, vim majorem, virtutesque eminentiores in peregrinis mirantur.

Conſtat, ait *Cardan. de ſarſaparill.* Indicas res majori præditas eſſe virtute, etiam pro qualitatum ratione: Quodque generaliter peregrina medicamenta plus agant: aer autem atque cibi ac potus patrii, ad vitæ uſum magis conducunt.

alii medium tenent. Nos mediam ingreſſi viam, nec noſtra ſpernimus, nec, ubi opus eſt, exotica rejicimus, memores iſtius apud Poëtam: *Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.*

Et *Galenum*: alia, *dicentem*, in aliis regionibus abundant, & meliora his, quæ alibi naſcuntur, exiſtunt, *l. 3. de compoſ. med. κατ. τόπ. c. 4.*

Non

Non cœco amore noſtras exteris, multo minus novitatis pruritu exteras merces noſtris præferemus, ſed examinabimus iſtas, quid valeant, quid ferre recuſent. Scire annitamur, quæ nobis, ſi legitimus accedat uſus, maximum afferre ſoleant emolumentum, ſin temerarius, majora incommoda.

Diſtinguenda ſunt ſimplicia. *Alia* ætatem ferunt, absque ulla cariei fere nota: *Alia* contra ea putredini, cariei, ſitui obnoxia ſunt. *Aliis* carere commode poſſumus, *aliis* minus. Concedendum hoc modo eſt, ſcordium noſtras v. g vel diptamnum noſtratem eligendum eſſe præ Creticis. Quid enim opus eſt, ut vitiata & vetuſta utamur ſcobe verminoſa, cum in hortis decerpere liceat vegetam plantam? Quid attinet aliunde derivare aquas, ſi proprio in lare ex fonte ipſo bibi dulcius posſint? Opium vero, ſuccinum, reſinæ & alia, vividiori ſulphure prædita, nullo corruptionis metu adſervari per plures annos queunt. Diſtinctio.

Nec ſane in totum commode carere poſſumus exoticis. Sic moſcho quid cordialius? croco quid thoraci aptius? cinamomo quid magis ſtomachicum? camphora quid penetrantius, & magis alexipharmacum?

Attendendum eſt τὸ εἶναι, καὶ τὸ εὖ εἶναι. Non ſolum videndum, quid proſit, ſed, quid melius.

Siſtimus in medium *OPIVM*. Hoc an in noſtro climate produci poſſit, ſuo loco videbimus, quia tamen usque in hunc diem aſportari a peregrinis oris eſt ſolitum, cur hæc attulerimus, quivis videt. Sed ad rem. Opium exhibetur.

LIBRI I. SECT. I.

CAPUT I.

Opii ὀνοματολογίαν deſcribit.

Opium unde dictum; OPium Græcam agnoſcit originem, dictum ὄπιον, ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, *a ſucco*, unde Latini ſibi mutuati ſunt nomen, opium vocantes, licet *Bontius animadverſ. in Garc. c.* 4. *p.* 42. credat, Græculos, a vetuſtiſſimo populo, Indis & Arabibus vocabulum opii derivaſſe, cum ab omni memoria illi eo uſi ſint.

quid ὀπὸς ſeu ſuccus in plantis, Per ὀπὸν ſuccus non intelligitur quivis, in generaliſſima loquendi conſuetudine, ſed vegetabilis. Humorem in venis, totaque planta contentum ſimpliciter *Meneſtor* appellavit ὀπὸν, *ſuccum*, alii in quibusdam ſuccum, in aliis vero lacrymam. Vid. *Spigel. Iſagog. in rem herbar. l.* 1. *cap.* 3. *p.* 24.

& quomodo differat Succus hic cum variet in plantis tum *ſubſtantia*, cum alius ſit *reſinoſus*, ut in pino arbore, lentiſco & aliis, alius *aqueus*, ut in betula, vite, &c. alius *lacteus*, ut in papavere, eſula, ſcorzonera & cæteris ſimilibus;

Tum *accidentibus* & extrahendi ſeu eliciendi modo: Quidam *ſponte* extillat, ut reſinæ, gummata: quidam *fiſſura*, ut betula, vitis; quidam *exprimitur*, ut in floribus roſarum, violarum &c. herbis, plantagine, ruta; fructibus, uvis, pomis, pyris, cydoniis;

Hinc varia ſortitus eſt nomina: ὀπὸν, χυλὸν, δάκρυον, quæ, quid ſignificent proprie, dignum videtur diſquiſitione.

Χυλὸς Χυλὸς itaque in noſtris hiſce terminis denotat humorem ſeu liquorem, qui ex contusa herba exprimitur aut elicitur, ſeu ſuccum expreſſum ex herba trita & contusa, adeoque differentia τοῦ χυλοῦ a reliquis conſiſtit in expreſſione, unde id, quod ex herbis exprimitur, proprie dicitur χυλὸς.

δάκρυον, Δάκρυον ſeu lacryma vocatur ſuccus, qui ab inciſione facta, vel ſponte dimanat, & defluit, ſub ſe comprehendens & reſinas, & gummata & gummi-reſinas.

Ὀπὸς

Ὀπὸς denique eſt quaſi vox omnium communis, & generalius aliquanto vocabulum eorum, quæ ita ſtillant, & appellatur ὄνομα κοινὸν τῆς ὑγρότητος οἰκείας τῶν φυτῶν, *nomen commune humoris proprii plantarum*, teſte *Theophraſto l. 9. hiſt. plant. c.* 1. Communiter itaque deſignat qualemcunque liquorem, vel humorem, vel ſuccum, qui alicunde emanat; ſive id fiat mediante expreſſione, inciſione, vel etiam ſpontanea protruſione, luxuriantis ſubſtantifici ſucci, ut adeo modo ſuccum, modo lacrymam ſignificet. Vid. *Gorræus defin. med. & J. B. Sylvat. l.* 1. *de ther. compoſ. p.* 143. *ſeqq.* & ὀπὶς;

Hæc tria diverſa, ut ſub unum certum genus redigeret *Galenus*, quæcunque ex alio effluunt, ſive ſucci, ſive liquores, ſub humoris appellatione comprehendi debere præcepto generali ſtatuit, *comm. 6. in l. 6. epid.* Et hæc quidem generalis eſt nominum notio.

Specialiter vero ὀπὸς deſignat qualemcunque liquorem, non ſponte, ceu reſinæ & gummata nonnulla ſolent, ſed μετὰ καταχασμοῦ, *ſcarificatione*, caſtratione, terebratione, vel alio quovis modo facto vulnere effluentem, ut ſunt opobalſamum, opopanax, galbanum & alia. Inter hæc duobus ὀποῦ nomen præ reliquis uſu & eminentia ſingulari obtigit I. ſucco ſilphii, ſeu laſerpitii, latinis laſerpitium, & aſa fœtida dicto, unde *Galenus in Lexico Hippocr.* ὀπὸς ὁ τοῦ σιλφίου καθ' ἐξοχὴν, *dicit*, ὥσπερ καὶ καυλός *ſuccus ſilphii dicitur* ὀπὸς *per excellentiam, quemadmodum & ejuſdem caulis*; & *l. 8. de med. facult. cap.* 24. ὀπὸν titulotenus pro asa eadem ponit, ubi, *quamplures*, ſcribit, *habentur ſucci*. Quavis enim radice incisa aut caule, quod ex vulnere craſſum ac lentum effluit, ſuccus eſt: cæterum ſpecialius, & veluti per excellentiam quandam Cyrenaicum ita nuncupant & Medicum & Syriacum. Opon vero Cyrenaicum hunc

Specialis τοῦ ὀποῦ acceptio.

I.

aſam fœtidam expreſſis verbis inter alios interpretatur *Petr. Pichot. l. de rheumatiſm. p.* 136. *Maſſaria l. de febr. c.* 27. & *Matth. Sylvat. in Lex. ſeu pandect.* licet alii per laſer Syriacum eandem denotari malint.

2. II. Idem nomen κατ' ἐξοχὴν ab antiquis attributum fuit ſucco papaveris, qui ex ejusdem capitibus vulneratis exudans dictus eſt ὀπὸς & ὄπιον, utpote ad ſtupefaciendum doloresque ſiſtendos longe valentiſſimum.

Itaque, ut recte ſcribit *Spigel. l. c.* in quibusdam plantis propria ſunt indita herbarum ſuccis ſeu liquoribus nomina: nam in papavere, qui e capitibus inciſis emanat humor, *opium* nuncupatur; qui ex reliquis præcipue caule & foliis tuſis, exprimitur, *meconium*, quo de paulo poſt.

Quid opiata & unde dicta. Hinc cum opium frequentius apud veteres miſceretur antidotis, opiatæ nomen, ab ingrediente potiſſimum opio, improprie tribuitur electuariis. Sic opiata Salomonis deſcribitur a *Renodæo.* Sic tales opiatas ſæpe deſcribunt autores Practici alii, quorum exempla videri poſſunt apud *Horſtium*, *Weckerum*, *Hartmannum in praxi chimiatr.* & alios.

Nomen opii Arabicum. Arabibus opium dici amfiam, vocalibus illis inter ſe commutatis, quod Ariſtoteles παραλλάττειν dixit; prolixe tradit *Scaliger exerc.* 175. Mutata eſt hæc ipſa pronunciatio opii in amphionem & offium. De quo *Fragoſus tract.* 4. *med. Indor. cap.* 12. *p.* 111. Quod Luſitani dicunt amfiam, ab Arabibus (quos Indi ſequuntur) dicitur ofium, deducto a Græcorum opio nomine. Pleraque enim nomina a lingua Græca acceperunt Arabes, mutando P. in F. quod ſint literæ multum affines, ut pro Pœonia, Faunia, pro opio ofium. Parallela loca videri poſſunt apud *Garciam l.* 1. *Hiſt. arom, cap.* 4. qui modo citata verbotenus etiam tradit,

dit, & *Olearium in deſcript. itin. Perſic. l. 5. c. 17. p. 597.* Verum nomen Arabicum eſt أفيون Afiun (& ita in toto Oriente vocatur) i. q. لبن الخشخاش *Lac ſeu ſuccus papaveris.* & quidem nigri, id eſt, ὀπὸς *opium vulgo cognitum.* Gol. in Lex. Arab. p. 128. (2.) i. q. *deliquium mentis & torporem afferre*, potius *Narcoticum:* & hinc *opium* dictum eſſe volunt. Sed prior eſt habenda etymologia Græca ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, & poſterior ſignificatio Narcotiſmi. *Caſtellus in Lexic. Heptaglotto p. 200.* & *Golius in Lexico Arab. l. c.*

A *Paulo* nominatur τοῦ μήκωνος ὀπὸς papaveris ſuc- Synonyma
cus *l. 5. c. 42.* quod ipſum cum adjuncto ſubiecto apud alia 1.
Galenum & alios frequenter occurrit.

Synonymum eſt *meconium*, autoritate *Pergameni* 2.
l. 1. de antidotis c. 24. ubi: papaveris liquorem & meconium & opium vocant, licet recentiores *Dioſcoridem* & *Plinium* ſecuti ea diſtinguant.

Interdum ſimpliciter *narcoticum* pro opio ponitur, 3.
unde *luminare majus ſect. 1. p. 22.* recte monet: quando ſimpliciter ponitur narcoticum, forte vel aliud, opium debet intelligi. *Sopio* antiquis dictum fuiſſe pro opium, annotat *Rhodius in not. ad Scribon. Largum compoſ. 21.* 4.
p. 60. unde *Galeottum Martium de promiſc. doctrin. c. 5.* apud *Catullum carm. 38.* pro *ſcipionibus* legere ſopionibus tradit. Audit & *lacryma papaveris Thebaici.*

Germanis dicitur Mohnſafft, Oelmagenſafft, Schlaffſafft.

Duplex eſt opium, ratione collectionis. Quod ſcapo Duæ ſpe-
decuſſatim inciſo emanat, καθ' ἐξοχὴν & proprie opium cies opii,
vocatur: quod vero ex capitibus & foliis ejusdem conciſis, expreſſis, vel, ut in ſucco glycyrrhizæ fieri ſolet, de-

coctis

coctis colligitur, μηκώνιον, *meconium* proprie dicitur, & quidem *paſſum*, ſi exſiccatum ſit. Differentiam hanc annotavit, uti jam innuimus, ipſe *Dioſcorides*.

Quid meconium? Meconium varias obtinet ſignificationes. *Interdum* enim ſumitur 1. pro *ſucco papaveris*, ſeu *opio* ipſo, ut e *Galeni* modo citato loco patet, & *l.* 1. *de compoſ. med. per genera c.* 6. ubi, *meconium*, ait, *ita autem nominatur papaveris ſuccus*.

2. 2. Pro *ſemine papaveris*, quod obſervat *Martianus comm. in l.* 1. *ſect.* 3. *de morb. mulier. p.* 255. unde in officinis extat ſirupus de meconio, ſive diacodium, ſimplex & compoſitum. Vid. *Pharmac. Londin. p.* 109. 110.

3. 3. Pro *excremento atro*, piceove, quod ab infantibus recens natis emittitur, περίττωμα, verba ſunt *Ariſtotelis l.* 7. *hiſt. animal. c.* 10. ὃ καλοῦσιν αἱ γυναῖκες μηκώνιον· χρῶμα δὲ τούτου αἱματῶδες, καὶ σφόδρα μέλαν, καὶ πιττῶδες. *Excrementum, quod papaverculum mulieres vocant, colore cruentum, atque admodum nigrum, & piceum.*

4. 4. Pro *peplo*, quo utitur *Hippocrates* ad purgandum, *l.* 4. *de vict. acut. c.* 69. & alibi, ſive intelligatur papaver ſpumoſum, ſicut *Dioſcorides l.* 4. *c.* 172. & *Galenus l.* 9. *ſimpl. c.* 40. ſcribunt; Vid. *Braſſavol. comm. in h. l. p.* 251. ſeu medicamentum purgans ex tithymalo paralio confectum. Appellatur enim μήκων quoque tithymalus paralius, teſte *Dioſcoride, Plinio*, & *Theophraſto l.* 9. *Hiſt. plant. cap.* 8. Vid. *Martian. p.* 419. & *Gorræus in defin. med.*

5. 5. Pro *ſucco* papaveris expreſſo & compacto, contradiſtincto ab opio proprie & ſtricte ſic dicto, quæ ſignificatio huius eſt loci.

An noſtrum opium ſit meconium? rationes pro affirmativa, prima. Qualenam noſtrum hodie ſit opium, quæritur, an ὀπὸς κατ' ἐξοχὴν λεγόμενος, *ſuccus per excellentiam dictus opium, an vero meconium?*

Quod ſolum meconium ad nos feratur & in uſu ſit, plurimorum eſt ſententia, 1. ob copiam & abun-

abundantiam. Commentator Dioſcoridis *Maranta* docet, cum opium ad nos in tanta feratur copia, veriſimilius eſſe, non verum opium, ſed potius meconium illud eſſe.

2. Propter parandi modum. Unde idem ſentit *Matthiolus*, idem *Scaliger*, premi in uſum familiarem innuens: τὸ premi enim nil aliud notat, quam expreſſionem ſucci tenuioris ſimul & craſſioris. Sic & *Nardius Noct. genial.* 8. *c.* 7. *p.* 578. opium vulgare confici ait ex ſucco expreſſo a tota planta, ſoleque indurato. Secunda,

3. Ob feſtucas & folia, quæ in ejus maſſa confracta quandoque reperiuntur, (quæ quidem nos externe eidem circumvoluta plerumque, in maſſa vero ipſa non facile invenimus) quæ evincere creduntur, extractum illud eſſe, & torculari expreſſum ex capitibus & frondibus papaveris, *Ol. Worm. l.* 2. *Muſæi c.* 34. *p.* 228. Tertia.

4. Ob additamenta, quæ genuino licet & vere parato addunt mercatores, teſte *Bellonio*, qui obſervat, compingi in Natolia ſeu Aſia minori opium ad pondus ℥iv. mercatores dimidium addere, & quod Venetias apportatur, ℔j ſæpe ponderare. Addunt alii, Turcas non permittere exportari verum opium, imo alii cum *Cratone* plane dubitant, an noſtrum opium cum veterum congruat. Quarta.

Sed, utut oculari hæc quam optime decidi debeant teſtimonio, & experientia accuratiori, ſi tamen licet a viribus ſeu poſteriori concludere, videtur opium noſtrum conſtare partim ex opio, partim ex meconio, tum propter ſigna, quæ opio vero adſcribuntur, ardet enim; tum maxime propter vires, quibus pollet maximis. Incidunt procul dubio papaverum capita, & opium eliciunt, ſed partem ſucci expreſſi fortean miſcent. Cum ergo conceſſum ſit, μηκώνιον ἀδρανέςερον εἶναι τȣ̃ ὀπȣ̃, *meconium viribus longe inferius eſſe opio*, noſtrum Deciditur negative.

B autem

autem opium viribus iſtis omnibus, quæ opio attribuuntur, abunde inſtructum ſit, neceſſum eſt, ut ſtatuatur, opium noſtrum non eſſe purum putum meconium.

Differentia opii & meconii. Cum ergo quæritur, *an differat opium a meconio?* Reſp. utique, quia hoc expreſſione conſit ex tota planta & χυλὸς eſt, illud caſtratione & vulneratione capitum effluit, χυλόσταγμα, ὀπὸς genuinus. Illud fortius, hoc ignavius operatur, unde ſecundum magis & minus differunt, ſunt enim uti in animalibus, ſic in plantis, triplicis concoctionis, velut effectus quidam, χολὸς, χυμὸς, ὀπὸς, uti loquitur *Zwingerus apud Craton. l.* 3. *epiſt.* 28. *p.*241.

Viliſſimum vero meconium eſt, teſte *Bontio, animadverſ. ad c.* 4. *Garciæ p.*42. quod Indi Orientales infimæ ſortis ex ſucco foliorum & ſtolonum papaveris parant & excoquunt, & hinc ſoli indurandum exponunt.

Caput II.

Πραγματολογίαν tractat.

His de opio quoad ὀνοματολογίαν prælibatis, ſubjungimus definitionem realem, ut poſita illa, quæ ad hoſce terminos ſpectant, melius enucleentur.

Opium definitur, quod ſit. *OPIUM eſt ſuccus, ex capitum papaveris thyrſis ſeu ſcapis vulneratis prolectus & condenſatus, ſenſus ligandi & potentiam movendi animalem ob vaporoſa effluvia ſiſtendi vim habens.*

Definitum eſt opium, quod deſcribitur quoad genus ſeu rationem formalem, *ſuccus.*

Succus, id probatur. Succum eſſe opium, evincit nominis ipſius derivatio, capite præcedente tradita; Dictum enim eſt, ut innuimus, opium peculiari nomine, cum ſit papaveris

ſuccus,

ſuccus, isque non liquidus, ſed in ſole inſpiſſatus & quaſi coagulatus.

Confirmatur hoc genus autoritate 1. *Galeni l.* 9. *de comp. med. κατ. τόπ. cap.* 4. & *l.* 8. *cap.* 1. ubi opium papaveris ſuccus dicitur. 2. *Avicennæ lib. & tract.* 2. *cap.* 526. ubi definitur ſuccus papaveris nigri. 3. *Scribonii Largi l. de comp. med. cap.* 48. qui ibidem plane idem eſſe cum opio meconium aſſerit. & confirmatur.

Alii in eo quidem omnes conveniunt, elici ex papavere opium quod & conceſſum & ex omni parte manifeſtum eſt, maxime tamen diſcrepant in definitione. Sic quidam *lac* appellant: quidam *liquorem lacteum*, vid. *Marcell. l. de medicam c.* 8. alii ſimpliciter per liquorem definiunt. Ita *Mylius*, *Baſil. chim. l.* 6. *p.* 1351. *opium*, inquit, *eſt papaveris liquor : non igitur exiguo errore ſuccus papaveris a multis vertitur, cum ſuccus ejus dicatur meconium.* Aliis per lac, & liquorem.

Per *lacrymam* definiunt plures. *Dioſcorides l.* 4. *cap.* 65. nominat δάκρυον opium, ſuccum vero papaveris ejusdem meconium. *Galenus libr. de antid.* 2. *cap.* 7. opium *ait*, eſſe lacrymam papaveris diverſam ab ejus ſucco, & *l.* 1. *de temperam. c.* 2. ab eodem lacryma papaveris dicitur. Pollicem premit, qui verba Dioſcoridis transſcripſit, *Oribaſius l.* 11. *collect. medicinal.* in voce μηκων & *Theophraſtus Hiſt. plant. l.* 9. *cap.* 8 & alii. Jam vero diverſa eſſe, ſuccum & lacrymam, ex *Galeno* colligitur *l.* 7. *de med. facult. cap.* 29. lacryma eſt aqueus quidam liquor, ſuccus vero aliquid magis concretum. per lacrymam,

Par ratio eſt eorum, qui per *gummi* deſcribunt, uti gummi ſeu lacrymam vocat *Garc. l* 1. *c.* 4. Gummi papaveris nigri eſt opium, ait *Serapio cap. de papav.* gummi opium vocat *Felix* Würtz. *de curat. vuln. part.* 2. *cap.* 16. *p.* 294. per gummi.

Hæc ut concilientur, notandum eſt, bene diſtinguendum Conciliatio,

dum eſſe inter hæc nomina, (quæ deſcripſimus *capite primo* latius,) late & ſtricte, generaliter & ſpecialiter, proprie & improprie ſumta. Interdum enim a medicis καταχρηςικῶς ὀπὸς ἀντὶ τȣ̃ χυλȣ̃, ἤτοι χυλίσματος, & vice verſa voces hæ pro illa uſurpantur, ut annotat *Joh. Anton. Saracen. Schol. in l.* 4. *c.* 69. *Dioſc.* Adde, quæ ſuperius de voce ὀπὸς diximus. Hanc nempe libertatem in nominum obſervatione ſibi ſumſerunt medici, ut ſæpe unum dictorum pro altero uſurpent. Sic ipſe *Galenus l.* 6. *meth. med. c.* 2. *circa med.* & *l.* 3. *de temp. c.* 7. Cyrenaicum ὀπὸν lacrymam appellat. Videatur & *M. Varro l.* 2. *de re ruſtica c.* 11. ubi eandem rem aliis ὀπὸν, aliis δάκρυον dictam expreſſis verbis innuit.

ὀπὸς tribuitur lactiferis.

Illud vero maxime notatu dignum videtur, quod ὀπὸς ſpecialiter attributus legitur plantis lactiferis. Ita lactucæ & chondrillæ liquor lacteusque ſuccus ὀπὸς vocatur a *Dioſc. l.* 2. *c.* 161. *l.* 2. *c.* 166. & idem apud *Galenum* paſſim occurrit.

Valeriola notatur.

Labi videtur *Valeriola libr.* 1. *enarrat.* 4. opium, *dicens*, nativus quidam eſt plantæ ſuccus, nempe meconii vocati, non factitia res, non arte effecta; niſi per meconium τὴν μήκωνα intelligat.

Opium ſimplex eſt

Clarum exinde evadit, non compoſitum quid eſſe opium, ſed ſimplex. Utut enim quibusdam dicatur ex papaveris & hyoſcyami ſucco illud componi, id tamen potius de adulterato, quam legitimo & genuino valet.

CAPUT III.

Opii originem & patriam delineat.

Autoris primi, qui

HIppocrates opii expreſſe non meminit in ſcriptis ſuis, quæ extant. Ingreditur tamen antidotum ejusdem, de-

deſcriptam a *Nicol. Alexandr.* 1. *de comp. medicam.* 378. Et ipſe *l. 6. epidem. ſect. 6. text.* 46. meminit ὑπνικȣ *ſoporiferi*, ſeu ut ex contextu patet, narcotici.

Aſt *Dioſcorides* & *Galenus* illius uſum noverunt & large ſcriptis expoſuerunt. Inde *Arabes* frequentiorem illius uſum in forum medicum introduxerunt, varia illo exornantes compoſita. Opii meminerunt.

Dictum eſt, confieri opium ex papavere. Hoc cum vel *ſativum* ſit, vel *ſylveſtre*, & utriusque ſpecies plures dentur, in quatuor tamen quaſi ſumma genera diſtinguitur. Vid. *Dioſc. l.* 4. *c.* 65. Papaveris ſpecies quatuor.

Primum eſt *hortenſe*, quod Græcis θυλακίτης fuit dictum, tres alias ſpecies ſub ſe comprehendens, (α.) oblongum habet capitulum & ſemen candidum. (β.) Caput habet inſidens demiſſumque, ſemen vero nigrum, a nonnullis πιθῖτις vocatum, hoc Dioſcorides *ſylveſtre* papaver appellat. Dicitur tamen & ῥοιὰς, quod ex ſcapo illius ſuccus *emanet* lacteus. (γ.) tertia ſpecies quaſi magis ſylveſtris, multo his longior & capitulo productiore. 1.

Alterum genus papaveris eſt *erraticum*, quod ῥοιάδα vocant; quod flos ejusdem protinus defluat, ſeu decidat, inter ſegetes in arvis plurimum naſcens, oblongo capite, ſemine rufo. 2.

Tertium eſt *corniculatum*, ſeu μήκων κερατίτης, dictum, ſemine ſub calyculo inflexo puſillo & nigro recondito. 3.

Quartum eſt *ſpumoſum*, ſeu Heracleum, ἀφρῶδες, totum candidum. Quibus jungi poteſt & *SPINOSVM*, flore flavo, & ſemine nigro. 4.

Opium prognaſcitur ex genere primo. Hoc vero cum duplex, ratione ſeminis ita diſtinctum, detur: *album* & *nigrum*, quodnam horum fundat de ſe & præbeat opium, diſquiſitionem meretur. Opii origo ex prima.

ſemine nigro.

*Plinio l.*20.*c.*18. & *Avicenna lib.*2. *c.*526. autoribus, non abnuente *Dioſcoride l. c.* olim parabatur ex papavere nigro, quibus adſtipulantur *Renodæus*, *Wormius*, & alii complures, licet *ille*, ex albo quoque papauere vulnerato optimum haberi opium à recentioribus ſtatui, ſcribat.

Alii indiſcriminatim ex papaveris capitibus, cortice inciſo in Thebaide & aliis locis calidioribus opium ſtillare aſſerunt.

& albo,

Alii ex ſolo albo fieri contendunt. Retulit illuſtri *Scaligero* Nicolaus Brixianus, præfectus ſtabulis Regis Navarræ, qui in Ponto, Bithynia, Cilicia diu egit, opium fieri ex albo papavere, ſeri paſſim multos agros longe lateque, premique ad uſum familiarem, qui etiam Turcis ipſis ſit frequentiſſimus. *Exerc.* 175.

Adſtipulatur *Bellonius l.* 3. *obſ. c.*15. ex albo papavere opium Turcas parare perhibens.

Addi his poteſt, quod *Garcias* refert, tota India non facile provenire papaver nigrum.

Nihil tamen obſtat, quin dicamus, ex utrisque opium parari poſſe. Sed an valentius ex nigro, quam albo, ſi quæras; & ex nigro valentius fieri probabile, quia hoc vaporibus excrementitiis ſylveſtribus, vel ſi mavis ſulphure magis abundat.

ex illo tamen valentius.

Modus præparandi Dioſcorideus.

MODVM præparandi exhibet *Dioſcorides l.* 4. *c.* 65. ex quo alii autores omnes eum transſcripſere. Cum enim meconii faciendi primum docuiſſet modum, ſubjungit: *Ὀπίζοντας δὲ δεῖ μετὰ τὸ τὰς δρόσους ἀνικμασθῆναι, περιγράφειν μαχαιρίῳ τὸν ἀστερίσκον, ὡς μὴ εἰς τὰ ἐντὸς διατρῆσαι, καὶ ἐκ πλαγίων δὲ τῆς κωδίας ἐπ' εὐθείας ἐκτέμνειν ἐξεπιπολῆς, καὶ ἀποψᾶν τὸν δάκρυον ἐπερχόμενον δακτύλῳ εἰς μύακα·* *At opii faciendi ratio hæc eſt: Cum ros exaruerit, ſtellulam* (quæ in ſummo papaveris capite viſitur) *cultello ita ſcarificare oportet, ut*

ut ne penitus intro adigatur, & a capitis lateribus per directum ſummam cutim incidere, & erumpentem lacrymam digito in conchulam abſtergere. Addit, redeundum eſſe non ita multo poſt, & poſtero quoque die, repetendamque denuo condenſatam ex vulnere *pridem* facto lacrymam. Hæc in pila teri jubetur, & in paſtillos coacta reponi.

Cauto tamen opus eſſe, concludit, ne liquor veſtium affrictu deradatur & pereat, unde retrocedendum eſſe monet.

Eleganter modum huncce verſibus expreſſit *Macer, in cap. de tribus papav. generibus*, ita canens:

Exuviis teneris opium faciunt capitellis
inciſa leviter ſumma cute, lacque, quod inde
defluit, excipiunt cocleis, ſiccumque reſervant
antidotis multis aptum, variisque medelis.

De *Meconio* vero ita pergit:

Sunt qui contundunt cum lacte ſuo capitella,
de quibus expreſſum ſiccant in ſole liquorem &c.

Ex dictis efficitur, fieri opium ex inciſione capitum papaveris fere matureſcentium, & TEMPVS, quo colligitur, ab autoribus nominatur *Majus* & *Junius*, a *Querсetano*, *Weckero* & aliis. Fit ex inciſione tempore æſtivo.

LOCVS NATALIS opii eſt diverſus. Olim plurimum & optimum opium mittebat non tam urbs Thebarum ſola, quam regio Thebaica, unde ſicuti ſena & rhabarbarum Alexandrinum, terebinthina Cypria &c. pro optimis habentur; ita opium Thebaicum, ceu genuinum & optimæ notæ cenſebatur, quod & hodierno die uſu receptum eſt. Locus natalis varius Thebæ.

A regibus Ægypti dicitur *Thebaicus*, teſte *Iſidoro*, ſed a Thebis Cadmi dicitur *Thebanus*.

Thebæ fuerunt Ægypti oppida inſulæ, urbsque: licet com-

commune nomen ſit variarum urbium, non procul a ſe invicem ſitarum, ſeu conterminarum; recenſent quippe Autores Theſſalicas, Bœoticas, Ægyptias, Troadas, Phthiotidas, *autore Plinio l.* 4. *c.*3. *&* 8. *l.*5. *cap* 19. *l.*36. *c.*8. *Homer. l.* 9. *Odyſſ. Solin. c.* 13. *p.* 61. *& c.* 12. *p.* 58. *Strabon. l.* 9. *&* 17. *Geograph.* ubi Ægypti Thebas prope Alexandriam ſitas memorat. Ab hac vero urbe & hodie varia tum aliarum mercium, tum præcipue medicamentorum ad nos feruntur genera, utut nonnulli Theſſalicam & Bœoticam inſulas longo ab Ægypto diſtare intervallo contendant. Et Thebas ipſas Ægyptias numero portarum fuiſſe nobiles, & ad eas commercia Arabes undique gentium ſubvexiſſe, autor eſt *Solinus polyhiſtor c.* 45. *p.* 151. addit: hinc regio Thebaica.

Cilicia. *Bellonius l.* 3. *obſ. c.* 15. in Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, aliisque locis orientalibus opium parari largo proventu docet, integris jugeribus inter incolas diviſis, ex quibus quilibet majorem vel minorem copiam colligit. Nominat idem in ſpecie Acharan, Carachatan, Spartadam, Emetelindam. Alii in genere e Turciæ confini Aſia & Natolia, Indiaque in Europam opium adferri ſcribunt.

Natolia.

Proventus largi ratio duplex, 1. larga meſſis.

Hinc cum mirari quis poſſit, quomodo in tanta copia paretur opium, huic dubio ſatisfit, dicto *Bellonii* loco. Cum enim integri agri, ut apud nos quibusdam locis cum cnico, glycyrrhiza, & glaſto contingit, ſerantur papavere, quid obſtat, larga meſſe provenire opium?

Accedit *ejusdem* teſtimonio, quod non ſolum tanta papaverum ibi extet copia; ſed & quod ſingulari diligentia magnoque legentium numero tantus conſurgat proventus, ut quinquaginta cameli opio onerati inde in Perſiam, Indiam, Europam, imo varias Turciæ regiones ipſas educantur, qui locus ſane meretur legi integer.

Alte-

Alterum vero, quod huc facit, perquam notabile eſt, quod *Garcias lib.* 1. *c.* 4. prægrandi capite papaver in India creſcere perhibet, quod Caxcax, (aliis Caſchas) vocant, adeo ut binos fere ſextarios in ſe continere poſſit, id eſt, uncias XXXV. ſeu ut alii vertunt, uncias LX. ut hinc *Renodæus* ſcribat, ejus capita ſingula ovi ſtruthiocameli magnitudinem æquare *ſect.* 10. *de mat. med. p.* 278. Quanta ex his capitibus cultello læſis opii dimanet ubertas, cuivis dijudicandum relinquimus. 1. Capitis papaverini capacitas.

Optimum eſſe e Cairo allatum, *Garcias l. c.* inquit, cujus varia dentur genera: 1. *Albicans;* hoc Thebaicum ipſi eſt; 2. quod ex Aden advehitur, aliisque locis Erythræo mari vicinis, *nigrum* & *durum*, cujus pretium pro regionum varietate aut intenditur, aut minuitur; 3. quod in India, Cambaja, Mandou, Chitor cogitur, *mollius* eſt, & magis *flaveſcit*, quo vulgo nos, ipſius ſunt verba, utimur. Variat pro regionum diverſitate

In Ægypto adhuc hodie magna provenire opium quantitate confirmat *Wansleb. relatione dell'Egitto p.* 3. *c.* 6. *p.* 61. ubi: vi ſono parimente in grand' abondanza le Droghe, comme opio, papaveri &c. &, *Bontio* teſte, *hiſt. nat. l.* 2. *c.* 4. *p.* 20. & *not. ad Garc. c.* 4. *p.* 41. opium electiſſimum dicitur *meſeri*, contracte *miſri*, (miſri vero eſt Ægyptus) & antiquorum eſt Thebaicum. Conferri meretur *P. Alpinus*, qui *l.* 4. *c.* 11. *de med. Ægypt.* hunc ſuccum, *ait*, quo omnes utuntur, opium puta, ex locis Sajeth, ubi olim Thebarum urbs erat præclariſſima, deferunt; ibi etenim nigra papavera copioſiſſime proveniunt, cæterisque omnibus facultate præſtant, ex quorum capitibus ſuccum exprimunt, quem ſole ſiccant, atque ad uſum ſervant. Profert opium Ægyptium etiamnum,

In Java majore inſula orientalis Indiæ copioſe provenire offium affirmat *Georg. Andreas, itinerar. Ind. l.* 1. *c.* 10. *p.* 13. item ex civitate Amadabath idem copioſe efferri, ibique dici theriacam offium, ſcribit idem *l.* 1. *cap.* 19. *p.* 32. Java,

Apulia. Ex Apulia Venetias afferri, non exigua copia, ait *Amatus Luſitanus l. 4. in Dioſcor. enarrat. 68. p. 426. J. B. Silvat. libr. 1. de comp. ther. c. 6.* Et *Wecker. antidotar. l. 1. ſ. 16. de liquoribus p. 135.* credit papaver, quod in Apulia creſcit, regione ſicca & arida, in qua raro pluviæ cadunt, perfectiſſimum eſſe ad lacrymam parandam, modo diligenter ſecundum doctrinam Dioſcoridis colligeretur, cum ibi ſeratur admodum copioſe album, unde lacrymam colligunt, maxime in ducatu Barcenſi.

an & noſtrum clima? In noſtro climate an præparari poſſit opium, digna ventilatu eſt quæſtio. Pro affirmativa ſtat *Quercetanus*, qui *Pharmac. dogmat. reſtit. cap. 25. p. 830.* docet, ut ait, juxta eandem normam & rationem ex noſtro quoque papavere opium educere, quod ſua præſtantia ac viribus veterum opio longe lateque ſit anteferendum, ſeu, ut paulo poſt *p.* 832. loquitur, quod proprietatibus & affectibus ſuis vulgari iſti, quantumvis longiſſime advecto, reſpondeat. Deſcriptionem vero ipſam eodem capite *p.* 838. ſubiungit.

℞. Sed licet negandum non ſit, & noſtrum papaver gaudere particulis ſulphureis & ſoporiferis, anodynis, narcoticis, unde diacodium vulgare uſus ſuos habet non contemnendos; vim tamen illam tantam eſſe, quanta in opio hactenus uſuali peregrino, experientia refellit. Accedit calor, qui in Indiis & Aſia longe major eſt, præ noſtrate frigido Jove, hinc etiam magis coquitur illud ſeu gummeum ſeu ſulphureum in papavere, ut de prærogativa papaveris Aſiatici peregrini, quam habet in magnitudine, nil amplius repetamus.

CAPUT IV.
De Notis & Electione Opii.

Opii Electio. CIrca opium *electio duplex* obſervanda, 1. *reſpectu ſui*, 2. *reſpectu aliorum.*

Rer

Reſpectu ſui conſideratum opium 1. a natali loco 1.
maxime commendatur, uti jam delibavimus, Thebai- reſpectu
cum. *Ἐκ τῶν θηβῶν τῶν αἰγυπτίων ὀπὸς ἰσχυρότατός ἐστιν·* ſui, a pa-
Ab Ægyptiis petitum Thebis opium eſt potentiſſimum, ver- tria,
ba ſunt *Galeni l.* 1. *de antid. c.* 3. unde licet interdum Hiſpanicum laudet, interdum Libycum; ſæpius tamen commendat Thebaicum.

Aetius interdum Aſianum, aliquando & Achaicum nominat; *Avicenna* Ægyptiacum. In hunc usque diem officinæ noſtræ & ſeplaſiarii uno ore eligunt & commendant Thebaicum, ubi vero præparatum ſit, non ſemper æque norunt. Thebaicum ergo hoc ſi præſcribitur, illud ſemper intelligitur, quod nobilius eſt aliis.

2. Notæ opii Dioſcorideæ attendi merentur. *Κράτι-* qualita-
στος δὲ ἐστιν, *inquit*, *ὀπὸς ὁ πυκνὸς καὶ βαρὺς, ἐν δὲ τῇ ὀσμῇ* tibus,
καρωτικὸς, πικρὸς ἐν τῇ γεύσει εὐχερῶς διειμένος ὕδατι, λεῖος, λευκὸς, οὐ τραχὺς, οὔτε θρομβοειδὴς, οὔτε συστρεφόμενος ἐν τῷ διηθεῖσθαι ὡς κηρὸς, ἐν δὲ τῷ ἡλίῳ τεθεὶς, διαχεόμενος, καὶ πρὸς λύχνον ἐξαπτόμενος οὐ ζοφώδει φλογί· φυλάσσων τὲ μετὰ τὸν σβεσθῆναι τὴν ἐν τῇ ὀσμῇ δύναμιν. *Præſtantiſſimum eſt opium denſum & grave, odoratu ſoporiferum, guſtu amarum, quodque facile aqua diluitur, læve, candidum, neque aſperum, neque grumoſum, quodque inter colandum non uti cera coit, denſaturve, ſed ſoli expoſitum diffunditur, & ad lucernam accenſum, minime atra obſcurave lucet flamma: quod denique poſtquam extinctum fuerit, ſuam odoris vim etiamnum conſervat.*

Hæc merito ceu normam proponimus nobis ante oculos, cum reliqui autores, veteres præſertim, pauca præter hæc ipſa Dioſcoridea ponant *κριτήρια*.

Ex recentioribus audiatur *Bellonius*, qui *l. c.* optimum pronunciat opium, quod amarum, guſtu calido, fauces incendens, flaveſcens, leoninorum pilorum modo.

colore, *Color* in noſtro opio hodie probatur, ad aloen fere accedens hepaticam, ex nigredine ruffeſcens, cum frangitur, ſplendore quodam nitens. Nec obſtat, quod *Dioſcorides* candidum illud requirat,(quod cum prima ſpecie Garciæ albicante convenit) cum procul dubio is vel ad lactea reſpexerit primordia, vel recens adhuc collectum ſtatim, prius, quam color & aer ambiens illud alteret, innuat, latius paulo vocem candoris extendens.

odore, *Odor* adeſt vehemens, graveolens, nauſeabundus, papaveraceam redolens proſapiam, uno verbo, *καρωτικός*.

ſapore, *Sapor* ineſt acris & amaricans, qualis itidem eſt papaveris, ſi guſtetur, lactei liquoris. Primo guſtu non omnem ſimul de ſe ſpargit ſaporem, ſed ſenſim magis magisque illum in lingua explicat.

conſiſtentia, *Conſiſtentia* compactum eſt, & grave, facile aqua, accedente ſimul calore, diſſolvitur, non tamen inſtar ceræ & mucaginis cujusdam lenteſcit. Non rarum eſt & friabile, non aſperum, nec grumoſum, ſed ponderoſum, denſum, ſolidum.

puritate, Quoad alia accidentia maxime eligitur *purum*. Licet enim quoad extimam veſtem admixta interdum habeat ſedimina, ſi modo interiora integra ſint viſcera, opium pro puro habetur. Solet ut plurimum foliis propriis quaſi tegi, quæ, ſi ad uſum vocetur, facile removeri poſſunt.

inflammabilitate. Flammæ objectum opium *accenditur*; nec atra obſcuraque nec ſplendida lucidaque exardet flamma, plus tamen ad obſcurum vergente. Extinctum eandem vim odoris non retinet integram eodem gradu, uti prius, ſed ex parte, papaveraceam videlicet. Accenditur, teſte *Plinio l.* 20. *c.* 18. difficilius, & crebro extinguitur.

Variat hæc inflammabilitas ſecundum ſiccitatem adjunctam, quæ iterum pro aere externo variat.

Ac-

Accenſum laudanum ſeu extractum noſtrum opii luculenta candidaque exarſit flamma, facillime tamen ſeu ſtatim extinguibili, & terreum relinquens pulverem. Contra extractum aloes noſtrum puriſſimum licet, ea promptitudine, ut opium, non accenditur, & plures relinquit feces, ceu cineres, ob fixum ſal, & terrenum magma magis in eo abundans; minorem vero quantitatem τ8 φλογιςȣ ſulphuris.

Meconium nec accidentibus modo dictis, nec inflammabilitate cum opio, niſi perquam remoto gradu, æquiparandum eſt, ſed particulis multis heterogeneis, aqueis præſertim, terreſtribus & ſimilibus, ab opio vero diverſis, pollet.

II. *Reſpectu aliorum* admiſtorum conſideratum opium, veterum teſtimonio ſæpius fuit adulteratum, quo majori lucro cederet mercatoribus, magno cum damno humani corporis. 2. Reſpectu aliorum admixtorum

Dioſcorides l. c. meminit variorum mangoniorum, v. g. 1. glaucii, 2. gummi, 3. ſucci ſylveſtris lactucæ, quem, quod viribus papaveri aliquatenus ſit ſimilis, nonnullos olim meconio permiſcuiſſe confirmat *l.* 2. *c.* 166. 4. adipis, quibus omnibus varie deturpatum dignoſcendum bene monet, vitiari enim colorem a glaucio, quatenus aqua ſolutum & colatum croceum tunc reddit colorem; odorem, conſiſtentiam viresque a reliquis, unde fiat invalidum, inodorum, pellucidum, aſperius, ut hinc liceat quaſi generale axioma formare, illud opium, quod ſupra recenſita non habet, ratione coloris, odoris, ſaporis, conſiſtentiæ, & conſequenter, virium, pro genuino neutiquam eſſe habendum. variorum, & horum dignotio ex priori fonte.

Garcias l. c. ſcribit, a nonullis ſtatui adulteratum opium Indicum, quod odorem thymaleæ referat, ſubin-

fert tamen, nec in Cambaja, nec tota India, quoad ſibi viſum, provenire illam plantam.

Amatus Luſitanus comm. in Dioſc. l. c. amaritudinem in opio repertam adſcribit glaucio, vel ſucco agreſtis lactucæ, quibus plerumque adulteretur, fatente id Dioſcoride. Si enim opio, *addit*, naturalis illa ineſſet amaritudo, dubio procul calidum eſſet dicendum, non vero frigidum. Tantum poteſt præjudiciis occupata mens.

Opii per ſmicroſcopium luſtratio.

Per ſmicroſcopii adhibitionem luſtratum opium, apparuit nobis, integrum quidem, ut ☿ium, vel minera ejus, ſtriatum; fuſcum cum candore, particulis tamen reſinoſis refertum. Deraſæ vero particulæ inſpectæ reſinoſis flaveſcens aliquid præ ſe ferebant, inſtar ſuccini, reſinæ pini &c.

CAPVT V.

Temperamentum opii, & 1. an ſit frigidum, indagat.

De Temperie opii opiniones variæ,

Licet nequeamus adeo certos aſſignare gradus temperaturæ rerum, unde *Galenus* alicubi ſcribit: *ſi cognoſcerem gradum temperaturæ determinatum, crederem me eſſe Æſculapium;* annitendum tamen, ut eatenus illam eruamus, quatenus intellectui noſtro patet aditus. Sed optandum eſſet, ut de ſolo gradu caloris vel frigoris diſſentirent medici, & non de toto temperamento, & inverſo plane intenſionis qualitatum ordine.

Videbimus primo, an calidum ſit, an frigidum opium, deinde, an caliditate an frigiditate ſomnum inducat, aliaque exequatur, quæ communi applauſu ſimplici huic attribuuntur.

eorum, qui frigidum

Frigidum eſſe, communiter ſtatuunt veteres, ad unum

unum fere omnes, quorum primipili ſunt *Dioſcorides l.* 4. *c.* 65. *Galenus* tum alibi paſſim, tum *l.* 8. *de ſimpl. med. facult. cap.* 105. ex quarto & ultimo refrigerantium ordine eſſe ſtatuit. *Avicenna l.* 2. *Tr.* 2. *c.* 526. *Trallian. l.* 3. *c.* 1. *Æginet. l.* 7. *Aët. tetr.* 3. *ſerm.* 1. *c.* 32. *Oribaſ. l.* 2. *de virt. ſimpl. p.* 255. *Scribon. Larg. l. de compoſ. med. c.* 48. *Marcell. Donat. l.* 4. *Hiſt. mir. c.* 18. *Gattinar. in l.* 9. *Rhaſ. Jachinus comm. in l.* 9. *Rhaſ. Gardan. de ſubtil. l.* 18. *Scaliger exerc.* 140. *Alex. Bened. l.* 6. *pract. c.* 13. *Fallop. de comp. med. c.* 8. & *de Tumor. c.* 14. *Fernel. l.* 5. *m. m. c.* 17. & *l.* 6. *m. m. c.* 1. & *c.* 5. ubi de opio, & in genere de quibusvis narcoticis, omnia, *inquit*, vehementer frigida exiſtunt. credunt ab autoritate,

Ratio potiſſima deſumpta eſt ab effectibus, ex ipſorum hypotheſi frigidis. Argumentari poſſunt; Q. effectus edit frigidos, illud eſt frigidum. Sed opium & opiata illud præſtant. Ergo ſunt frigida. & ratione, ab effectibus,

Minorem probant, 1. quia ſtuporem, 2. quia ſomnum, eumque profundum, inducunt, ſimulque calorem nativum opprimunt, & cerebrum, ſenſus omnes, & actiones animales ſtupefaciunt. 1. ſtupore, 2. ſomno,

3. Quia corrigitur calidis, ut *Zingibere*, *pipere*, *euphorbio*, aliis. 3. correctione,

4. Probant aſſertum a remediis opiatorum. Calidisſima propinantur, ſi periculum ab opio immineat. 4. contrariis,

5. Quod palmarium ducunt, in quibusdam opio extinctis ferunt circa cor inventum ſanguinem congelatum & conglaciatum fuiſſe, adeoque conſtare opium frigidis, terreis, ſiccis, fixis, incraſſantibus & condenſantibus partibus. Quam in rem elegans eſt ſive hiſtoria, ſive fabula *Levini Lemnii de occult. natur. mirac. l.* 2. *cap.* 52. *p.* 163. Medici, *ait*, apud Italos homines facinoroſos, qui morti addicti ſunt, certo anni tempore a præfectis impetrant in diſſectionis uſum, & 5. experimento;

quo rei medicæ ſtudioſi in re anatomica exerceri poſſint. Itaque ne ullos humores diſſipari contingat, aut craſſiores ſpiritus evaneſcere, omniaque ſe aperte proferant, opii, hoc eſt, ſucci nigri, papaveris binas ternasve drachmas ex vino meraciſſimo mortem commeritis exhibent, qua potione hauſta primum exhilareſcere incipiunt, velut riſu Sardonio perfuſi, mox in ſomnum ſoporemque reſoluti, morte ſopiuntur, tanta ſiquidem pernicitate venas ac vitalia corripit, ut diſſecto eorum, qui opio potionati ſunt, corpore, cordi adhæſiſſe compertum ſit.

Imo & in cerebri ventriculis ſanguinem inſtar glaciei exinde coactum & congelatum fuiſſe refert, qui idem recenſet, *Joach. Curæus l. 2. de ſenſu c. 17. p. 229.*

ab affectionibus frigidi.

Frigidum eſſe opium, evinci poteſt affectionibus frigidi, ab ipſo *Galeno l. 1. de ſimpl. med. facult. c. 22. & l. 4. ejusd. tractat. c. 1.* & *Ariſtotele l. 4. meteor. c. 7. &* 8. probatis. Frigidi eſt denſare, cogere, adſtringere, incraſſare: calidi rarefacere, fundere, aperire, attenuare. Opium vero denſare, cogere, aſtringere, incraſſare, quis negabit?

Sed frigida & calida ſibi relicta effectus hoſce edunt, per accidens vero & frigida calefacere, & calida refrigerare poſſunt. Unde diſtinguendum venit inter effectum univocum & æquivocum, ſicut videmus, aquilonem, frigidum ventum, nubes diſſipare, quia ex frigidis locis in calidiora illas devehit, auſtrum vero calidum nubes colligere, quia ex calidis locis in frigidiora eas deducit.

Referri huc poſſet *Helmontii* conciliatio, quod camphora, & opium licet calida, refrigerare dicantur, quatenus Archæum ſubigunt aut fugant. *Poteſt. med. §. 4. p.* 291.

Alia pro frigiditate argumenta 1.

Frigiditas opii alia veriſimili ratione probari poteſt: *primo* ſententia illorum, qui theriacam tamdiu infermentatam

tatam manere ſtatuunt ob opium. Frigida fermentationem impediunt, calida promovent, cujus cauſam ajunt opii eſſe cruditatem. *Deinde* iſtorum, qui theriacam primis ſex menſibus eſſe frigidam propter opium profitentur. Theriaca recens majori efficacia dolores ſedat, ſpiritus ſopit, ſiſtit fluxiones, quam vetus.

Verum credendum non eſt, exiguam opii quantitatem, ſi reſpicias ad totum compoſitum, impedire fermentationem. Juſtum tempus requiritur ad debitam fermentationem. Non perſiſtit ſine fermentatione theriaca, ſed ſenſim & ſenſim particulæ heterogeneæ fermentationem moliuntur. Dicit quidem *Quercetanus*, ſi compoſitioni ſpiritus aciduli & excellentis a ⊖lo educti ℥ß. addatur, fermentationem promoveri poſſe multum; ſed illud non fit ob opium, fermentationem impediens, verum quia ſpiritus hic ſalinus fermentationi perquam eſt aptus. Alterum argumentum non conceſſa nititur hypotheſi, opium eſſe frigidum. Non minus recens theriaca ſudorem movet, effectu ſane omnium conſenſu calido, quam vetus. ℞.

Probabilius argumentum alii adducunt, quia frigefaciendo enecat, ut *Hoffmannus* facit, *de med. offic. lib.* 2. *c.* 169. *§.* 13. vel quia frigiditate ſua reſolutionem inferat, ut *Averrh.* 5. *can.* 27. cujus tamen vis patet ex dictis, & ex dicendis clarebit magis. 1.

Videtur hæc veterum hypotheſis de frigiditate opiatorum, & quod ea immediate ſenſum partium tollant, exinde orta, quod viderint, frigidis aliis actu talibus obtundi ſenſibilitatem, tum ſi partibus ſanis, tum ſi dolentibus applicarentur, quo de vid. *Illuſtris Bartholinus Tr. de Nive cap.* 24. & 28. & 5. *aph.* 25. ubi: *νάρκη γὰρ μετρίη, ὀδύνης λυτική· torpor enim* (a frigida affuſa) *moderatus dolorem ſolvit.* Reſponſio generalis.

D Cum

Cum ergo ab aſſumpto incaute, vel magna doſi propinato urgentibus doloribus opio, non ipſum ſolum tolli, ſed & ſenſum ipſum una cum homine emori, cernerent, judicarunt, ipſa hæc eo nominata narcotica frigidiſſima eſſe oportere, cum tamen ab externis, præſertim actu talibus, ad interna non valeat conſequentia, unde recte apud *Cratonem* dicitur *l.* 3. *ep.* 16. *p.* 211. Qui fit, ſi frigidum eſt opium, quod non nix & glacies, &c. tantum inducant ſoporem?

Anodyna calida credita,

Notabile etiam hoc eſt, quod anodyna non ſtatuerint frigida, ſed calida, quo de videri latius poteſt *Galenus l.* 5. *de ſimpl. med. facul. c.* 18. Cui ὁμόψηφος *Hippocrates* τὸ θερμὸν ἀνώδυνον, *calida anodyna,* ſeu *dolorem auferre* pronunciat 5. *aph.* 22. & tum alibi, tum *l. de loc. in hom. c.* 30. jubet τὴν ὀδύνήν πάυειν θερμαντηρίοισι φαρμάκοισι, *dolorem ſedare calefacientibus medicamentis,* licet ibidem de dolore ſolum pleuritico loquatur. Narcotica vero, & hypnotica frigida crediderunt. *Vid. Galen. l. c.*

Narcotica frigida.

CAPUT VI.

2. An calidum ſit, diſputat.

Calidum opium qui ſtatuant.

MUlti ex Galenicis, Chimici plerique calidum adſerunt opium. *Felix Platerus*, *Caſp. Bauhinus*, *Geſnerus*, *Zwingerus*, *Quercetanus*, *Libav. l.* 2. *Batrach. c.* 13. *Sala opiol. c.* 3. & alii calidum eſſe contendunt. *Matthiolus l.* 4. *c.* 60. quamvis, *inquit*, opium quarto exceſſu frigidum ſtatuatur; tamen, ſi ex ſapore & effectu rerum temperamenta & qualitates cognoſcuntur, opium noſtri uſus non modo guſtu amarum percipitur, ſed etiam acre, adeo, ut paululum in ore detentum linguam & palatum exulceret; unde haud dubie colligi poſſe putaverim, calidiſſimas illi ineſſe qualitates, cujus rei fidem augere poteſt, ea, quæ ex eo prodit, odoris gravitas.

Rationes pro calida temporie I. a ſimili.

Stant hi agmine facto contra frigiditatem I. quod hoc modo

modo ejuſdem gradus frigida præſtare idem in tam exigua doſi deberent, ut aqua frigida, nix, glacies.

II. Ab affectionibus idem probatur. 1. *Odor* gravis, teter, penetrans, caliditatis eſt argumentum, jam vero omnia odorata, & vaporoſa calida eſſe, affirmat *Pergamenus l.* 4. *de ſimpl. med. fac. c.* 21.

2. ab affectionibus (1. odore,

2. In ſapore *amarities* majus momentum adponit. τὰ πικρὰ δὲ πάντα θερμά, *omnia vero amara calida* pronunciat idem *l.* 4. *de ſimpl. med. fac. c.* 6. *circa fin.* Quo motus *Spigelius Iſagog. l.* 2. *cap.* 9. *pag.* 168. ſane, *inquit*, quartum gradum frigoris nulla ratione attingere poteſt, cum mediocriter amarum ſit: quantum namque habet amaroris, tantum caliditatis. Et idem maxime urget *Helmontius Duumvir.* §. 8. concludens, aut falſum eſſe amarorem indicem caloris, aut opium non eſſe frigidum. Videantur de amaritie opii plura apud *Zacut. Luſit. M. P. H. l.* 1. *hiſt.* 60. *dub.* 35. ubi & alia habentur.

(2. ſapore,

3. *Sudorem* excitat opium, effectu ſane calido. Illa enim, quæ diaphoretica ſunt, calida ſunt & tenuium partium, cenſente ſæpe laudato *Pergameno l.* 5. *de ſimpl. med. facult. c.* 14. In vigilantibus etiam ſudorem inde profluere, quidam addunt.

(3. vi ſudorificæ,

His adjungi poſſunt 4. *inflammabilitas*, ea enim medicamenta, quæ ubi ignem attigerint, facile accenduntur, nos quoque excalefacere, diſertis verbis affirmat *idem l.* 3. *de temperam. c.* 2. utut *l.* 1. *de ſimpl. med. fac. c.* 16. id limitare videatur.

(4. inflammabilitate,

5. *Pruritus* in toto corpore: (5. pruritu,

6. *Sitis* inde excitatur, ut infra docebitur, quæ activæ qualitatis, calidæ ſc. ſunt effecta. (6. ſiti.

III. Etiam in calidis vis ſoporifera & narcotica ſimilis apparet, vinum, crocus, & ſpirituoſa alia ſomnum indu-

3. a vi narcotica in calidis,

 cunt,

cunt, neque tamen frigida reputantur. Sequeretur, firma exiſtente hypotheſi de frigiditate opii, etiam hæc eſſe frigida.

4. correctione, IV. Corrigitur opium non calidis ſolum, ſed & frigidis, acidis, attemperantibus.

5. uſu externo, V. Externe applicatum diſcutit, & emollit tophos nodosque, jam vero ſi frigidum eſſet, denſaret potius & conſtringeret.

6. animoſitate. VI. Addi poteſt, quod animoſitatem conciliet, quo nomine Turcis perquam familiare eſt, quo de inferius *ſect.* 3. *capite ultimo* plura.

Exceptiones variæ, *Quidam* pro ſalvanda ſententia priori varias adducunt limitationes, præcipue contra adductum amarorem;

contra amaritiem, Kekermanni, Opium eſſe amarum, ſecundum partes quasdam tenuiores, exteriusque magis apparentes, interim tamen eſſe frigidum in gradu excellenti, & ob id venenum, reſponſio eſt *Keckermanni ſyſtem. Phyſic. l.* 3. *c.* 6. *p.*310. Sed partium illa diverſitas in opio monſtrari nunquam poterit. Quin opium homogeneum eſt maximam partem & totum amarum, adeo ut ſapor hic illi ſit quaſi proprius, cum in quolibet menſtruo ſolutum, amaritiem inſeparabiliter ſervet.

aliorumque, Simile huic eſt illorum reſponſum, qui frigidis opii multis partibus paucas aliquas calidas, amaritudinem habentes adjunctas ſtatuunt, vid. *Sylvat. l.* 1. *de compoſ. ther. c.* 6.

Opium, licet frigidiſſimum ſit, linguæ tamen apparere amarum, quia plures habet ſapores, & quia linguæ citius amarus ſapor, quam acerbus aut auſterus communicatur, quod non ſolum magis eſt injucundus, ſed etiam in calidiori & minus craſſa ſubſtantia conſiſtit, verba ſunt

quorum quidam amara calida eſſe negant *Non. Acoſtæ l. de art. med. c.* 13. *p.* 45.

Imo in frigiditate ipſa eſſentiam aliquam habere amarum ſaporem, contendit *Averrhoes l.* 5. *colliget. cap.* 27.

Hinc

Hinc nonnulli *τὰ πικρὰ πάντα θερμὰ εἶναι, omnia amara eſſe calida*, penitus negant, quod facit *Franciſc. Valeriola l.* 1. *enarrat.* 4. *per tot.* ipſius opii & cicutæ, ut & cichorii & endiviæ exemplo, & *Laurent. Gryllus tract. de ſapore dulci & amaro inſcripto l.* 2. *cap.* 6. *p.* 87. *Galenum*, ait, hoc ſcribentem prolixa non opus habere refutatione, cum experientia, ſenſus & exempla reclament. Frigida ſunt, *ſubjungit*, & amara quamplurima, intybus, i. e. cichorium, quod ideo *πικρὶς* dicitur, & endivia, ſonchus, luctuca adulta domeſtica, præſertim tamen ſylveſtris, quæ ut amarior, ita domeſtica frigidior, & adeo quidem, ut caput ſtupore tentet. Addit & papaver, cortices juglandium virides, ſalicem, aliaque exempla plura.

Verum autores hi partim autumant, ex communi hypotheſi, ſtuporem, alioſque effectus huic ſimiles provenire a cauſa frigida: partim pro frigidis adducunt, quæ vel talia non ſunt, vel ſolum ſuperficietenus amaritiem oſtendunt, intus tamen talem non habent. Quod ſi addatur, in multis recenſitis, v. g. lactuca adeſſe aliqualem amaritiem, aſt frigidam nihilominus ſtatui plantam; non tam levis amaroris, qui tamen ut talis calido adſcribendus ſemper eſt, quam mixtionis & particularum humidarum, quibus maxime obtunditur, intuitu, res erit clarior, ſicque dilui poſſunt reliqua, quæ pro diſcuſſione objectionum afferebantur. Reſponſio ad easdem.

Imo hi petitionem principii committunt, dum opium ipſum & cicutam pro exemplo allegant, id quod tamen in quæſtione eſt. Et cichorium & endivia non tam frigiditate ſua propria & eſſentiali affectibus calidis medentur, quam per accidens, quatenus amaritie ſua obſtructiones reſerant bilemque abſtergunt, & diluunt, refrigerant.

Ὁμόψηφος dictis autoribus eſt *Franciſc. Valleſius l.* 9. *con-*

*troverſ. cap.*5. qui negat, res amaras plures partes calidas, quam frigidas habere, & ſubtile adducit exemplum bilis & aloes, quæ exigua quantitate aquæ admixta illam amaram reddant, v. g. ſi ℔j. aquæ bilis ʒj admiſceatur. Sed huic reſpondet *Sennertus* 1. Neg. aquam per ſe frigidam tantillæ bilis vel aloes partis admixtione frigidiorem fieri. 2. Crama illud non naturale, ſed artificiale eſſe. 3 Diverſam eſſe opii rationem, hoc enim eſſe corpus maxima ex parte homogeneum & totum amarum.

CAPUT VII.

Aliorum ſententiæ recenſentur.

Aliorum ſententiæ, ALii, cum videant amarorem ſoli deberi calori; conciliationem aliam pro ſalvanda hypotheſi ſua excogitarunt.

Capivaccii, *Capo di vacca tr. de venen. l.* 7. *pract. c.*9. ſtatuit, diverſas ineſſe opio partes, calidum exiſtere in 3. gradu, frigidum in quarto, adeoque juxta conſentientem *Renodæum l.*1. *de mat. med. ſect.* 10. *p.* 279. caliditatem leviorem ac fugacem, contra vero frigiditatem contumacem & validiorem ineſſe, a majori vero parte fieri debere denominationem.

Hoffmanni; *Caſparus Hoffmannus* item ſentit *l. de med. offic. l. c.* & *animadverſ. in Montan. c.* 7. §. 16. *p*, 81. concedit eſſe frigidum in 4. gradu, ſed multas habere partes calidas, quæ vehiculum præbent frigidis.

Sanctorii, Gemina his ſunt illa *Sanctorii comment. in fen.* 1. *cap.*2. *quæſt.* 20. *ubi*, opium refrigerat, *inquit*, magis partes internas, ratione vehiculi calidi, id eſt amaritiei, deferentis virtutem narcoticam, dum enim ſeparatur amarities ab opio, opium virtute narcotica magna ex parte deſtituitur &c. Videatur idem *l. c. quæſt.* 17. ubi plura elegantia hanc in rem habentur. Spe-

Spectat huc ſententia *Amati Luſitani ſupra cap.* 4. citati, qui opio amaritudinem omnem abrogat, illamque unice glaucio vel ſucco agreſtis lactucæ adſcribit, unde opio ſit accidentalis, non eſſentialis. Amati Luſitani,

Aliqui, ut *Scaliger l.c.* diſtinguunt inter illud opium, quod ex albo papavere, & illud, quod ex nigro paratur. Quod enim, *ſcribit*, opium in quarto gradu frigidum cognoſcitur a medicis, nigro fit ex papavere. Scaligeri,

Caput VIII.

De occultis opii qualitatibus.

ALii, cum videant a qualitatibus primis elementaribus deduci non poſſe vim opii narcoticam, illam ad occultas, cœcas nec loquentes cauſas retulere, unde paſſim legas, narcotica eſſe, quæ *peculiari vi* ac ineffabili qualitate ſpiritus animales ſopiunt; quæ qualitate occulta, calido nativo inimica, ſiſtant ſanguinem, quæ ſeminali virtute & ſpecifica totius ſubſtantiæ proprietate operentur &c. Alii ad occultas qualitates confugiunt,

Dato enim, cognitum eſſe exacte temperamentum; dato, temperamenti illius gradus certo innotuiſſe; dato denique graduum latitudines accurate deprehenſas, nihilominus ſemper iiſdem involuti ſunt difficultatibus. cum prima non ſatisfaciant,

Quocunque enim rem verterint, ſive ad certum caloris gradum, occurrit quæſtio, qua quæritur, ſi ratione caloris id præſtant, cur alia æque, vel magis calida id non præſtabunt, cum neque piper, nec ſinapi, aloe, aliaque ſint narcotica? ſive ad frigiditatis ſtateram illam metiantur vim, qui fit, ut *Cratonis* ſupra citata non repetamus, ſi opii drachma ob frigus occidat, cur glaciei uncia, quæ eſt frigidior, ſtatim non exterminet vitæ robur? quæ verba ſunt *Sanctor. in meth. vitand. error. l.* 8. *cap.* 10. *p.* 674. Et, vel calidæ, vel frigidæ,

quod

quod *Fernelii* eſt exemplum, ſempervivum majus, licet alterco frigidius, minime tamen partem ullam admotum ſtupefacit, *l.6.m.m. c.* 5. unde non ab hac manifeſta, ſed peculiari occulta facultate ſenſum adimere aſſerit.

Rationes aliæ.

Probant occultam hanc qualitatem ab aliis quoque opii affectionibus. Equidem, inquit *Th. Eraſtus diſp. de narcot. ʃ.* 69. ſi nihil aliud, abominabilis narcoticorum odor ac ſapor ſatis probat, præter qualitates notas, occultiorem vim in eis abditam latere, unde ab occultis qualitatibus eorum vim omnem deducit. Confer *Sennertum l. 6. pract. part. 7. cap.* 1. *p.* 292. & *Zwelferum Pharmacop. Reg. claſſ.* 14. *p.* 625. & alios ibi citatos.

Caput IX.

Chimica elementa recludit.

Opiniones

ELementa opii quænam ſint, chimici omnium optime curioſa indagant manu.

Paracelſi,

Paracelſus anatomiam opii ex profeſſo non inſtituit, ſolummodo papaver eſſe anodynum vi compoſitionis, quam obtinuit, perhibet *libr.* 7. *archidox. p.* 813.

Severini,

Petrus Severinus Danus in idea medicinæ philoſophicæ cap. 7. *p.m.* 71. ita de opio: Diu multumque de opio dubitatum eſt, qua ratione in tanta amaritudine ſtupefaciendi virtus excelleret. Nos ſubſtantiarum facta ſeparatione, 🜍 vel 🝆ſum quippiam deprehendimus, plane narcoticum: Ejusdem naturæ ſulphura ante conſpexeramus, eadem induſtria, in multis naturæ partibus, in 🜕lo, 🜔, 🜔libus fere omnibus, in 🜍e vulgari, in herbis plurimis. Itaque nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec ſiccitati, nec tenuitati, nec craſſitiei, hanc opii proprietatem adſcripſimus, ſed tali corpori, i. e. 🜍ri narcotico.

Unum

Unum hoc eſt elementum opii, detegens ipſi, unde ſit narcoticum. *Pergit* jam & producit & alterum: Eadem ſeparatione, anatomia, analyſi, in opio ſal quoddam diaphoreticum deprehendimus, quod ſubtili reſolutione penetrando ſudores movet: cuius ſimilitudinem in multis naturæ partibus ſimiliter demonſtrare poſſumus.

Joh. Bapt. Helmont. in Duumvirat. §. 8. *p.* 211. deprehendiſſe ſe, *ſcribit*, in opio ſalem acrem ſudorificum, & amarum oleum, longe ab opii odore recedens, attamen ſoporiferum. Quod *Tr. de lithiaſi c.* 9. §. 87. *p.* 63. repetit, ubi ſulphur amaricans, & ſal acre ac ſudoriferum ex opio recenſet. Helmontii

Conformia his ſunt illa *Quercetani l.* 1. *defenſ. c.* 20. quod in papaveribus, *dicentis*, atque opio narcoticum eſt, id nihil aliud eſt, quam pars quædam oleoſa ac ſulphurea, flammam concipiens. Quercetani.

Subjectum a nobis Vulcano ad torturam opium exhibuit, per 🝭 vitream illud per ſe ex ♣.♌do, 1. *Phlegma*, 2. ♎*um volatilem*, *ſeu* ⊖*le volatili refertum*, *urinoſum*, qui cum ♎u ⊕li aliisque acidis commixtus efferveſcit, odore reſtante fœtido. 3. *Oleum* nigricans, ex quo patet vis agendi opii, mox pluribus delibanda. Ineſt 🜍 copioſum, ſeu ſubſtantia oleaginoſa, inflammabilis, ineſt ☿ius, ſeu ⊖ volatile vaporoſum, ſeu halituoſum, præter aqueas & terreas paſſivas, & ſalinas fixas in ☠ reſiduas partes. Hæc certo modo invicem mixta ſunt elementa opii & ſomni effectiva, quæ fundamentum nobis præbent, de activitate ejusdem uberius differendi.

ἐγχείρησις chimica, unde ▽ ♎ ⚇ 🜃

CAPVT X.

Ἐπίκρισις generalis dictorum.

QUid ergo in dubitantium horum diſſonantia dicendum nobis? Quid ſtatuendum, ut animus veritatis

 avi-

avidus ſatiari & acquieſcere poſſit? Sapienter *Philoſophus*, ubi res conſtat, ſi opinio adverſetur rei, quærendam rationem jubet, non rem ignorandam.

In papavere partes heterogeneæ,

Statuimus, papaver, ut alia miſta, habere in ſe partes heterogeneas, calidas, ſiccas, frigidas & humidas. Calidæ particulæ tametſi a frigidis & humidis in virenti planta recentique opprimantur, luculentius tamen, pereuntibus iſtis ſe produnt, & prædominio potiuntur, quod fit, ubi reſolvuntur & ſeparantur artis igne. Ex arte multum accedit aduſtionis, maxime in ſucco, unde opium noſtrum, igne ope coctum, depuratum, inſpiſſatum, niſtas caliditatis ſibi impreſſas intenſiores acquiſivit.

calidæ in ſucco conſpicuæ. Vis narcotica non in ſolis primis qualitatibus fundatur,

Ad narcoticam vero vim ejus quod ſpectat, pro inſtrumento operantur modo calida, modo frigida quæ ſunt. Quamvis enim virtutes peculiares, ſub quibus & narcotica eſt, mixtis elementaribus inſint; qualitatibus tamen quæ ſunt in mixto, manifeſtis iis atque ſenſibilibus non pro forma, ſed pro inſtrumento utuntur, ſine quibus neque integræ manent in mixto, neque quicquam efficiunt.

magis tamen calore quam frigore agit opium;

Quod ſi tamen quæratur, num per calida fortius operetur, quam per frigida, opium, per calida omnino reſpondendum arbitramur. Activitas enim, quæ in calidis eſt fortior & citior, etiam hic apparet. Deinde minor doſis idem evincit, & alia modo delibata.

gradus caloris,

Vita validum, ſenſus moderatum calorem requirebat, inde cor a natura effectum calidius, cerebrum reſpectu hujus frigidius, unde non opus eſt, ut ſtatuamus opium frigidum vel calidum in excedente gradu, quo ligentur ſenſus, ſed ſufficit, ſi ſtrictas quis expetat leges, ſecundus caliditatis, & ſiccitatis fere tertius gradus.

CAPUT

CAPUT XI.
De modo agendi opii ſpecialius inquiritur.

UT vero vis ſoporifera opiatorum perſpicue & penitius pateat, paulo altius videtur arceſſenda ſomni origo.

Somni tres gradus, naturalis, n. n. præter naturam.

Tres diverſos ſomnus habet gradus, prout vel major, vel minor, ſeu prout profundior, diuturnior, breviorve & placidior contingit. Hinc eleganti diviſione, 1. alius eſt abſolute naturalis, 2. alius non abſolute naturalis, & 3. præter naturam. De quibus tamen non agemus h. l. niſi quantum ad ſcopum noſtrum attinet.

Somni naturalis cauſa.

Somnum naturalem omnes concedunt producere ſuaviores & blandas ἀναθυμιάσεις, ſeu vapores primum αἰσθητήριον demulcentes, qui cum ſpiritibus animalibus mixti torpidos quaſi illos reddunt. Aſcendunt nempe a coctione probe peracta in caput vapores non ingrati, utpote primi rores ciborum, ut loquitur *Verulam. Hiſt. vit. & mort. p.252.* & ſic, ut loquamur cum *Ægineta l. 1. c. 97.* ob χρηστὴν ὑγρότητα ἐπιτέγξασαν τὸν ἐγκέφαλον ſuccedit ſomnus.

Somnus productior fit.

Præter hanc quotidianam & naturalem ſomni viciſſitudinem, idem variis ex cauſis producitur & extenditur. In genere ſomnus augetur ab omnibus iis, quæ poros cerebri obſtruere, &, ut concidant, efficere apta nata ſunt, ſive id poſitive faciant, vaporoſis ſcil. effluviis, ſeu privative, abſumptis ſpirituum particulis, quæ dilatabant eosdem. Sic illud fit v. g.

1. a laſſitudine,

1. A laſſitudine, nimia exercitatione, laboribus, quibus cerebrum ipſum fatigatum & ſiccatum, ſpiritibus animalibus multum abſumptis, & requie ſimul & refectione eget, unde pro indigentia hac animali diutius protrahitur

tur quies, & hos altior tunc ſomnus premit. Sic & a morbis exantlatis, præſertim calidioribus, circa declinationem fere continuo dormiunt ægri, quod ſub febrium inprimis continuarum abitum, cum aliis ſignis bonis, ſemper ſalutare obſervavimus.

2. a V. S. 2. A ſanguinis profluviis, venæ ſectione, præcipue largiore, ut quotidiana teſtatur experientia, vulneribus &c. Videmus hinc admodum pronos in ſomnum labi ægros.

3. a caſu. 3. Ex caſu, percuſſione, contuſione capitis, maxime muſculorum temporalium.

4. a vigiliis prægreſſis, 4. Ex præcedentibus vigiliis diuturnis. Sic ipſe *Galenus* vidit in ægris quibusdam, qui tres vel quatuor dies vigiles egerant, difficilem excitatu ſomnum ſupervenientem, qui prorſus nocte dieque perſeverans magnum attulit auxilium. Idem & infantes hoc modo non unum ſolum, ſed duos ex ordine dies absque ullo incommodo dormientes obſervavit, *in* 1. *prorrh. comment.* 2. *aph.* 29.

5. ob humiditate in cerebro, 5. Ab humiditate in cerebro exiſtente copioſa, ut in hydrocephalo, hinc & infantes magis & crebrius dormiunt.

6. ab humectantibus, 6. Ab humidis & humectantibus cum quadam energia adſumptis. Ut enim videmus, vigilias contumaciſſimas oriri v. g. in ſtatu p. n. in febribus ardentibus, abſumpto quaſi omni ſero, a nimia ſiccitate; in mania; in quibus morbis ſanguis V.S. eductus vix micam ſeri ſæpe exhibet; in ſtatu etiam naturali ipſo, in bilioſis & temperaturis ſiccioribus, in ſenibus; ita etiam tum ab humiditate abundante in corpore, tum ab humectantibus largius propinatis ſubſequi ſomnum, & vigilias corrigi quotidie obſervamus. Pertinent huc emulſiones, & aquæ hypnoticæ, quæ ſane parum vel nihil de opio participant, effectu tamen omni non deſtituuntur, ob id ipſum, quod humectant.

emulſionibus;

Quod veteres ſomnum & ſoporoſos affectus frigori adſcri-

ſcripſerint, inde revera ortum primitus videtur, quod ea vidiſſent ſomnum movere, quæ humectarent largius, &, ut ſic loquamur, ſubſtantialiter. Hæc cum ſimul crederent frigida, uti quidem nonnulla ſunt, activæ magis qualitati, frigori, quam paſſivæ, humiditati id acceptum ferre voluerunt. Concedunt enim, & paſſim id ſcribit *Galenus* & alii, a potu vini, & quidem modice diluti, non meraci, non antiqui, ſomnum fieri, cum tamen optime noſſent, omne vinum calefacere, & calidum eſſe. Hinc vinum omni quaſi aqueo phlegmate orbatum, ſi in corpus bilioſum ſiccum recipiatur, tantum abeſt, ut ſomnum procreet, ut potius vigiliæ contumaciſſimæ inde oriantur, quo de vide elegantiſſimum exemplum apud *Galenum l. 2. de loc. aff. c. ult. circa fin.* vino,

7. A vaporoſis aſſumptis liquidis, liberali vini, cereviſiæ, maxime loliaceæ, 🜈, tum veri, tum frumentacei potu. Spectant huc illa *Theophraſti l. de laſſit. pag.* 271. Ὁ δὲ ὕπνος μᾶλλον γίνεται ἀπὸ τοῦ πλείονος ὑγροῦ καὶ θερμοῦ, καθάπερ τοῖς μεθύουσιν, *Somnus vero multus fit a calidi & humidi copia, ut ebriis accidit.* Ea enim cum particulis oleoſis ſeu 🜍eis, & volatilibus conjunctam habent aquoſitatem. 7. a vaporoſis,

In ſpecie a 🜈 non ſomnus ſolum profundiſſimus, ſed & ſtupor maximus ſequitur. Hos, qui 🜈, aquam vitæ communiter dictam, immoderate ſumpſerant, primum ſummopere accendi, poſtea attonitos ſtupere, ac ſi opium bibiſſent, & ſtertere ad mortem usque, multoties obſervavit *Platerus l. 1. obſ. p.* 17. Vidimus hujus exemplum inſigne menſe Julio anno 1672. in tertianario. Hic morbi & medicamentorum pertæſus, cum, ob corporis cacochymiam voto diutius affligeret febris, ut illam abigeret, ante paroxyſmum bibit 🜈 frumentacei ultra ℥ix. Hinc in ſomnum delatus profundiſſimum per duodecim horas abs- 🜈. Obſervatio,

 que

que ſenſu & motu, oculis apertis decubuit, nullo modo excitabilis, cum ronchis. Noctu ad illum vocatus juſſi teſtibus applicare lintea, oxycrato imbuta, & cum natura ſe ab hac farragine (comederat enim multum una panem) ſpontaneo vomitu ex parte liberaſſet, magno labore vix excitato propinavimus elixir cephalicum c. ☊ urinoſo ✱ci fortius acuatum. In ſomnum relapſus per 8. vel 10. horas adhuc dormivit. Die ſequenti acida & refrigerantia dedimus, calebat enim cum ſumma ſiti, & ſic a ſomno quidem & ſtupore liberabatur, febris tamen nihilominus ſtata hora rediit, cum ger unum & alterum diem ſolum vi ♀ei medicamenti vis ejus obtuſa eſſet.

8. a croco. 8. A croco. Unde communiter mulierculæ infantibus pro corrigendis vigiliis ſolent ſupponere ſacculum, quo crocus fuit adſervatus. Referenda huc alia ſpirituoſa. Sic, docte id obſervante *Simone Pauli*, *quadripart. Botan. p.* 71. *&* 145. hypnotica ſæpe præpoſtere in ſenibus ad ſomnum provocandum præſcribuntur, qui ſpeciebus diambræ & diamoſchi in forma electuarii & ſimilibus ſæpe moleſtas abigunt vigilias.

9. a purgantibus. obſervatio. 9. A purgantibus. Sæpiſſime obſervavi, vigilias infantum, cum clamoribus, torminibusque conjunctas, absque diarrhœa tamen, omnium feliciſſime ſublatas, data mechoacanna, vel gialapa. Mirum eſt, quam ſubito obdormiverint, in quietem dati, non aliter, ac ſi opiatum ſumpſiſſent. St, ut hoc obiter addamus, notandum eſt, infantes facillime ferre purgantia, & ipſa etiam correctiora emetica. Dedi ſæpius infantibus duorum vel trium ſaltim dierum laudatum modo gialapium, ad duo, tria & quatuor grana, feliciſſimo cum ſucceſſu, hoc modo & ſomnum concilians inquietis, & humores leniter educens; quod ipſum a variis ſymptomatibus eos præſervat. Et quod majus eſt, certiſſimum

ſimum eſt, infantes hæc ipſa purgantia reſpective & proportionaliter longe commodius & in majori doſi quam adultos ferre. Neque hæc eatenus ſolum ſomnum conciliant, quia vapores & humores, a quibus ſpiritus laceſſuntur, expugnant, quæ ratio eſt *Thomæ Eraſti Diſput. de ſomno* §. 79. ſed & aliis de cauſis, quæ ex ſequentibus colligi facile poſſunt, cum jam prolixius de iis agere non ſit locus.

10. A capitiluviis, & pediluviis. Hoc modo ſæpius cum ſucceſſu juſſimus ad vigilias tum alias, tum melancholicorum, caput lavare cum decocto lactucæ, aliarumque herbarum humectantium. De pediluviis vero videantur longe elegantiſſima apud *Rolfincium conſult. med. l.* 2. *conſ.* 1. quam ſub illius ductu elaboratam ventilavimus, & *Lang. l.* 2. *epiſt.* 45. 10. a lotione capitis & pedum.

11. Poſſemus hic recenſere exempla eorum, qui a vapore *muſti*, quale ipſimet novimus, ab exhalatione *ardentium prunarum*, ab evaporatione *calcis tectoriæ* & ſtupore & morte correpti fuerunt, aliaque plura; niſi jam opinione amplius eſſemus digreſſi. Videri interim de his exempla poſſunt apud *Plater. l.* 1. *obſ. p.* 17. & 19. *Solenandr. conſil. med. ſect.* 5. *conſil.* 6. *p.* 461. *Camerar. oper. ſubciſiv. cent.* 1. *c.* 27. *p.* 137. *Mœb. Epit. Inſtit. l.* 2. *part.* 2. *c.* 6. *p.* 121. & alii. De caro ac odoriferis nimis producto *vid. Strabo l.* 16. *geograph. p.* 535. 11. Vapor muſti, prunarum &c. καρωτικός.

12. Adduci poſſent & illi, qui in nive & intenſiſſimo gelu lethali ſopore obruuntur. Sed hæc & præcedenti paragrapho recenſita, magis videntur inſidiari ☉-ibus vitalibus, ejusque concernere præcedentem, vel ſimultaneam diſſolutionem, unde cerebrum quoque eclipſin patitur, & pori ejusdem lethali torpore ſubſident. 12. Gelu intenſum torporem inducens.

Agendi opii vis ſoporifera ad nullam claſſem aptius re- Applicatio ad opium

referri poſſe videtur, quam ad effluvia vaporoſa, quibus ſcatere & abundare opium, præter alia, patefacit odor gravis, teter, penetrans, item exhalatio vaporum ſulphureorum, quibus abſumptis, nihil lethiferi, nihil ſomnolenti in illo remanet.

confirmatur elogio Philoſophi;

Elegans hanc in rem extat locus apud *Philoſophum l. de ſomno & vigil. cap.* 3. ubi, οὐκ ἔστιν, *inquit*, ὁ ὕπνος ἀδυναμία πᾶσα τοῦ αἰσθητικοῦ, ἀλλ' ἐκ τῆς περὶ τροφὴν ἀναθυμιάσεως γίνεται τὸ πάθος τοῦτο. διὸ μάλιστα γίνονται ὕπνοι ἀπὸ τῆς τροφῆς. ἀθρόον γὰρ πολὺ τότε ὑγρὸν καὶ σωματῶδες ἀναφέρεται σημεῖον δὲ τούτων καὶ ΤΑ ΥΠΝΩΤΙΚΑ. Πάντα γὰρ καρηβαρίαν ποεεῖ, καὶ τὰ ποτὰ, καὶ τὰ βρωτὰ, μήκων, μανδραγόρας, οἶνος, αἶραι. Non *eſt ſomnus impotentia quælibet ipſius ſenſitivi, ſed ex evaporatione circa alimentum paſſio fit hæc. Et ideo maxime fiunt ſomni a cibo, nam repente tunc multum humidi & corpulenti ſurſum fertur. Signum autem horum & SOMNIFERA, omnia enim gravedinem capitis faciunt, & potabilia & eſculenta, ut papaver, mandragora, vinum, lolium.*

& aliorum,

Soporifera cuncta ſuavi quadam evaporatione ad cerebrum aſcendente, ſive per nares ſive per os, ſive per carotides venas & arterias, ſive per gulam, quam ſtomachum vocant, ſomnum movent, inquit *Spigel. Iſag. l.* 2. *cap.* 9.

experientia.

Ab opio ſumpto caput aliquandiu aggravatur, manifeſto indicio, ab inſigni fermentandi, ſeu in halitus vertendi opii vi plurimum horum ſe ſpirituum animalium viis inſinuaſſe, ac eas aliqua ex parte oppilaſſe, ut loquamur cum *Wepfero Tr. de apopl. p.* 252.

Concluſio dictorum.

Modus itaque hic agendi opii conſiſtit in ἀναθυμιάσει ejuſmodi, quæ porulos cerebri a vigiliis nimiis apertos & dilatatos obſtruit, ſpirituum animalium effrenem influxum impedit, eosdem quaſi coagulat, & addenſat, adeoque ſuaviſſimam corpori conciliat quietem. Confer *Hippocratem l. de flatib. c.* 20. *c.* 8. *ſqq.* Ne-

Neque interim negamus, nervos ipſos ſtomachicos ſtatim in ſe una recipere vaporoſum illud. Non intelligimus vapores ejusmodi craſſos, qui in caput ex ventriculo immediate ferantur, & tum demum operationem ſuam exerant, ſed blandam ſpirituum ligationem, quam nervi ſtomachici & ductus alii, cum chylo, communes ſtatim cum capite & ſangvine communicant. Hinc mirum non eſt, etiam nondum egreſſo e ventriculo opiato, effectum ſentiri. Ipſe ſic cibus a famelico aſſumptus ſtatim famem ſiſtit, cum vix in chylum mutandus ab ore aſſumptus eſt. Offerret ſe hoc loco latiſſimus campus, de hoc ipſo modo diſtributionis chyli e ventriculo, & inde reſultantis refectionis pluribus differendi, ſed ne extra oleas vagemur, alio id diſcutiendum differimus, hic vero de opiatis ſolum diſpiciemus. *Opiatorum cita activitas.*

Neque moramur nonnullos, ut *Helmontium, Duumvir.* *ʃ. 6. ſeqq. p.* 210. & *Grembſium l.* 1. *cap.* 7. §. 7. qui negant, ob effluvia vaporoſa agere opiata, quo 🜍 ⊖li anodynum fixum ſit. Conceſſum itaque eſt a poſteriori, dependere νάρκωσιν a ♎uum animalium libero itu & reditu agili ceſſante, ſiue obſtruantur, denſentur, conſtipentur, & quaſi coagulentur & figantur: ſive quovis modo meatus ſeu pori cerebri blande claudantur. *🜍 ⊖li fixum.*

CAPUT XII.
De ſulphure opii narcotico.

SEd plus ultra! Nondum ſatisfactum eſt curioſitati. Quæramus porro & inſiſtamus viæ, donec ad exoptatam veritatis metam detur acceſſus.

Eleganter *Helmontius* virtutem ſomniferam adſcribit phantaſiis formarum mixti, & proprietates ejusmodi *Virtus ſomnifera ex pp. chimicis.*

formales manare a phantaſiis formarum trium principiorum, ſalis, 🜍is, & ☿ii. *de magnet. vuln. curat.* §. 153.

Negari nequit, qualitatem ſeu vim illam anodynam & ſtupefactivam *τρόπον τῆς μίξεως*, *modum mixtionis* ſequi, in qua mixtione elementa non modo æqualiter vel inæqualiter miſcentur, ſed etiam pro materiæ ſecundæ diſpoſitione varie patiuntur & agunt.

Illuſtrantur elementa opii inprimis 🜍 & ☿

Expoſita ſunt ſupra elementa opii, & per Vulcanum in apricum collocata; Eminere in eo dictum eſt inprimis 🜍 copioſum, & ⊖ volatile ſeu ☿ium, adeoque hæc quaſi a priori, ita ſe habere, quam certiſſime demonſtratum eſt. A poſteriori tria potiſſimum idem evincunt:

patefacit odor,

Primum *odor*. Hunc ſulphuri unice deberi, in confeſſo eſt; partium enim 🜍earum effluvia ☿ialium ope volatiliſata & ſubtiliſata interventu aeris ad nervos olfactorios delata odorem efficiunt, quorum mixtio ut variat, ita diverſi generis exurgere odores neceſſe eſt.

ſapor,

Deinde *ſapor* amarus, qui eosdem agnoſcit natales, ſalino adſcriptus principio, primario puta, & plerumque in iis videndus eſt, ubi cum 🜍 & ☿io penitius terra commixta eſt.

inflammabilitas.

Tertio *inflammabilitas*, quam ad 🜍 referendam, ex vulgatiſſimo axiomate Paracelſico: *quicquid ardet, ſulphur eſt*, palam eſt.

Cui debeatur vis narcotica?

Hinc quæſtio exoritur, an vis narcotica 🜍i primario, an ☿io ſeu ſali volatili ſit adſcribenda, præſuppoſito hoc, & reliquorum quodvis ſymbolam ſuam conferre.

argumenta pro ⊖le volatili.

Argui poſſet pro ſale volatili 1. activitas, agit enim in minima quantitate, & virtutem ſuam quam ocyſſime in corpus vibrat, 2. quia figitur acidis, quæ ipſa in genere ſoporoſis affectibus proſunt. 3. quia in 🝞tione, non minus quam 🜍, apparet, & oculotenus ſe ſiſtit.

Verum

Verum enimvero plurima ſunt, ex quibus ſal vola- tile copioſum educi poteſt, & quorum vires ab illo ipſo 🜔le volatili dependere creduntur, quæ tamen longe diverſos ab opio effectus in corpore noſtro edunt. Nunquam talis effectus a ſale volatili antiſcorbuticorum, quæ id eminenter poſſident, obſervatus eſt; nemo id a volatilibus cephalicis unquam euenire notavit. Quin contrarium potius viſum eſt. Obſervavimus in quamplurimis ſcorbuticis volatilia ejusmodi varia ſymptomata potius excitaſſe, niſi in quibus fixi humores volatilia indicarunt. Et, quod palmarium eſt, vidimus in ſoporiferis affectibus longe præſentius ſe gerere urinoſa volatilia, quam ulla alia medicamenta. diluuntur

Verius ergo & rectius narcoticum illud omne in 🜍re principaliter quæritur. Plerique chimici ſulphur narcoticum pro genuina cauſa habuerunt hactenus, neque id ſine cauſa, modo recte explicetur res, alias enim paulo aliud vocabulum, quam occulta qualitas obtruditur, res vero nullo modo explicatur. & accepta fertur 🜍ri,

Conſtant nimirum & abundant non minus 🜍re, v. g. caſtoreum, & camphora; quæ tamen vigilias potius quam ſomnum inducunt, vnde opii genuina antidota habentur, ut infra patebit; in quo ergo conſiſtat ſulphur hoc narcoticum, diſquirendum eſt. & quidem

Nobis, ut, quæ hæreat ſententia, explicemus, videtur opium conſtare 🜍*RE* blando, *FACILE RESOLVBILI*, idque potiſſimum, quod in quolibet menſtruo ſolvitur, absque deperditione ſaporis, & conſequenter virium, hinc acidis, aqueis, & ⁓oſis ſeu oleoſis extrahi poteſt, ipſisque ſalinis. Ita pariter in corpore noſtro omnibus aut plurimis humoribus lubenter obſecundat, inprimis vero ſeroſis, aqueis. reſolubili, quod probatur a ſolutione

Notum eſt ex Chimicis, quodlibet mixtum proprium ſibi depoſcere menſtruum, præcipue vero præ omnibus 🜍ea. Sulphur commune nunquam ſolvitur aqueis, nunquam obſecundat & vincitur acidis, nec ipſi cedit aquæ forti, aliisque ſtygiis, licet ſalinis fixis intimius remixtum ſit particulis. Nullum oleum cum acido, vel aqueo per ſe combinatur, nullum ſulphureum, neque ſpirituoſis 🜍ea æque parent. Aſt opium, ut ſuo loco latius docebitur, omnia æque amat menſtrua.

in quovis menſtruo,

& in corpore,

Hoc ergo opiatum 🜍 in corpore reſolutum ſpiritus vaporoſos & ſulphureos cum ſanguine, & cerebro communicat, qui cerebri conceptacula oppilantes, ut loquitur *Kircherus de peſte ſ.* 3. *c.* 3. *p.* 103. cerebri ventriculos opplentes, juxta *Quercetanum Pharmac. dogm. c.* 24. ſeu poros potius, ſecundum *Carteſium*, ſoporem inducit.

unde ſomnum facit.

Combinatur hoc cum ſulphure vitali noſtro, & facillima reſolutione evaporationes halituoſas ſuas cum ipſo jungit. Sal ſanguinis volatile cum ſero reſolutionem hanc ſulphuris multum adjuvat, hinc particulis ſuis viſcidis, oleoſis, balſamicis poros cerebri & nervorum leniter obſtruit, ſanguinem vero blande concentrat, adeoque ſomnum efficit. Opium, quod *Theophraſtus* de odoribus dicit *l. de odor.* διὰ τὴν κουφότητα, μάλιςα διϊκνεῖται καὶ συμπληροῖ τοὺς πόρους, ὥσθ᾽ ἡ αἴσθησις καταλημμένη, καὶ πλήρης οὖσα, κρίνειν ἀδυνατεῖ. *Ob levitatem* (ſulphuris cum ☿io juncti) *penitus pervadit, poroſque obſidet, ut nimirum ſenſus occupatus & oppletus judicare non poſſit.*

confirmant id ipſum alia ſimilia,

Ubi ſulphur exuperat 🜔 volatile, & in ſe eſt reſolubile, opio effectus conſimiles deprehenduntur in aliis. Ita 🜄, vinum ipſum, crocus, carbonum vapor & alia ſupra delibata, eodem 🜍e reſolubili pollent, unde effectus edunt quam ſimillimos. Contra vero ſi abundet in mixtis 🜔 volatile

latile præ ſulphure, & ſulphur reſolubile non ſit, ſive ſua natura, ſive ob defectum laticis in ſanguine, vigilias potius inducunt, ut exemplo camphoræ & caſtorei inprimis docuimus. Habent hæc copioſum ſulphur, ſed non reſolubile, unde evaporationes quidem faciunt, ſed non halituoſas blandas, viſcidas, ſed ſubtiles penetrantes, meatus & poros aperiendi potius, quam occludendi vi præditas.

Imo ipſum opium, ſi effectus ejus contrarii & velut extraordinarii nonnunquam ſpectentur, idem evincit. Veriſſimum enim eſt, & in praxi tota die occurrunt caſus, ubi exhibitum opium, etiam in magna ſatis quantitate, tantum abeſt, ut ſomnum inducat, ut potius vigilias augeat. Siccat enim magis, niſi humor aqueus ſeroſus ſufficiens ſit in ſanguine, qui ipſum poſſit reſolvere, qualia ſubjecta ſupra nominavimus, unde neceſſarium colligimus axioma, opium quidem omnibus facile ſolvi liquoribus, ut vero ſomnum conciliet, opus eſſe ſufficienti humore, qui ipſum & reſolvat, & didat. Unde nobis certo ex praxi & creberrima obſervatione innotuit: *Opium non operari, niſi ſerum ſit in ſanguine proportionatum.* Ut ſerum eſt ὄχημα τῆς τροφῆς, *alimenti vehiculum*, ita & medicamenti tum hujus, tum aliorum: quo vectore ſi deſtituatur ſanguis, difficillime obtinetur ſopor, ſin debito modo abundet, facillime. & circumſtantiæ ex effectu deſumptæ,

Videas hic mirum quantum ſæpe peccari. Dentur in iſtis caſibus humectantia, & quidem ſubſtantialiter, vel cum his miſceantur opiata, & voto damnabitur æger juxtim ac medicus. Cautela practica

Patet hinc quibus opium magis conveniat, & quibus magis ſomnum moveat; ut enim id denuo repetamus, qui ſeroſis abundant humoribus, ſeu in ſtatu ſ. n. ſ. p. n. ab opio eminentiores perſentiſcunt vires, unde Non omnibus æque eſt ſomniferum opium.

 datum

datum hoc hiſce facilius ſomnum affert. Contra qui bilioſiores ſeu ſecundum naturam, ſeu præter naturam, minus ſubiguntur, quo de inferius dabitur dicendi locus.

Digreſſio ad affectus ſoporoſos, qui calorem habent junctum, & ipſorum remedia, una cum cauſa explicantur.

Equidem, ut verum fateamur, nullum vidimus affectum ſoporoſum, vere talem, ubi non adfuerit ſimul calor p. n. cujus unicum ſolum recenſebimus exemplum. Villici cujusdam filia anno 1671. tempore autumnali per unam & alteram ſeptimanam prius torpore, laſſitudine & ſomnolentia correpta, hinc & aliquali diarrhœa, horruit, hinc calore continuo laborabat, cum perpetuo ſomno, ut ægerrime excitari ſolum pro cibo vel potu aſſumendo potuerit, idque per integros fere decem dies duravit. Obviam itum febri alterantibus & cordialibus, mixtis acidiuſculis. Nil vero magis ſopori debellando profuit, quam -⌒- ⊖ ✱*ci volatilis* cum *aq. lil. convall.* -⌒-*uoſa* rite adminiſtratus interne. Externe inunximus nares, tempora, & præcordia, oleo ſuccini, & camphoræ, cum pinguedine caſtorei, & in ſacculo appendimus camphoram, nigellam & caſtoreum, quibus probe applicatis præter omnium ſpem evaſit.

Quin paralyſin univerſalem, omnium conſenſu affectum frigidum notavimus ſemper fere anteceſſiſſe calorem, cum torpore. Hinc licet obiter aſſerere, quandocunque ſomnus copioſior adeſt, ibi ſanguinis 🜍 a ſero copioſiori reſolutum eſſe, & hinc poros cerebri obſtrui, ita quidem, ut ☿ius ſeu ſal volatile activitatis humanæ, ſeu vitalitatis inſtrumentum a 🜍re ſuperetur. Ubi vero acidis v.g. ſegregatio & præcipitatio horum fit, uti mechanica demonſtratione in chimicis notiſſimum eſt, ſulphura a ſalibus liquidis reſoluta, acidis præcipitari; vel urinoſa propinata cum morbo confligant, ut ſulphureæ partes iterum ſui fiant juris, & obtuſum ⊖ volatile ſibi reſtituatur; vel ſulphura non ſolubilia, ut camphora, caſtoreum, nigella,

gella, ſanguinis ſulphur adaugeant, ut vinci & ſubigi tam facile non poſſit, omnia iterum vegetantur in œconomia animali, & ſplendent.

Obſervavimus ſæpius, ſoporoſos & apoplecticos magis excitari urinoſis, quam aromaticis, vel ſulphureis, tum interne, tum externe applicatis, quo caſu vel ſolum ⊖ ✱cum in quodcunque lixivium infuſum & naribus objectum feliciter ſe geſſit. Volatilium □ noſorum vis.

Objectum quidem ſæpius fuit chimicis, quod narcoticæ virtutis in opio cauſam 🜍ri adſcripſerint, 1. quod id nihil ſit aliud, quam dicere, commune eſſe particulare, & vice verſa, 2. quod in aliis maximam partem 🜍eis id non deprehendatur, vid. *Gregor. Martin. Tr. contr.* 11. *cap. de conſenſ. & diſſenſ. Sennerti*, p. 69. Quis ergo hinc evadat doctior? quis animus ſolidæ ſcientiæ cupidus ſaturetur? quis non ſentiat, ſibi fucum fieri petitione principii & verba dari? inquit *idem l. c. p.* 151. Gemina his ſunt illa *Thomæ Eraſti diſp. contra Paracelſ. p.* 2. *p.* 81. ubi, quid enim, quæſo Te, *inquit*, in cauſa eſt, ut oleoſa pars in opio ſtupefaciat, non item, quæ in aliis rebus ineſt? Si ad mixtionem partium referant, eodem recident, ut plura, quæ ibi acriter contra aſſertum hoc diſputat, non allegemus. Sed ex dictis jam facile lis dirimi poteſt, modo ipſi ad meliorem inclinare velint mentem. Objectiones contra 🜍 narcoticum Martinii & Eraſti non attendutur.

Neque hoc pacto aſſenſum merentur illa, quæ *Glückradius not. ad tyroc. chim. l.* 2. *c.* 6. *p.* 162. ſcribit, narcoſin tantum craſſo & feculento 🜍ri competere, non item illi, quod per anatomiam eſſatam emergit purum & ſpirituoſum.

Memorandum hoc loco eſt *Williſii*, viri celeberrimi, de opiatorum virtute judicium. Hic libro, *pharmaceutice rationalis* inſcripto *ſect.* 7. *cap.* 1. *p* 285. *ſeqq.* ſtatuit, opiata conſtare 🜍e fœtido, hoc eſt, e 🜍e, cum ⊖le fixo & materia terre- Williſii de opiatorum virtute mens.

terreſtri ſimul combinatis, & ad efferationem evectis, adeoque vires ſuas exercere, ſpiritus animales perimendo, profligando, debellando, conſternendo, & extinguendo, idque, ſi in juſta doſi ſumantur, quibusdam ſolum accidere, quaſi in prima acie collocatis, unde cœteri conſternati aut interius compulſi, aut ſaltem ab effluxu in partes nervoſas ſolito revocati penſa ſua derelinquant aut aliquantiſper remittant; ſin vero in magna nimis doſi dentur, eosdem plane, prorſus & omnino peſſundare. *Addit*, maxime eadem adverſari ſpiritibus animalibus, eorumque extinctoria ſeu potius VENENA eſſe, venenare ergo eosdem & in maxima copia deſtruere; ſanguinem tamen non vitiare, nec huic ipſi ſimul venenoſas eſſe opii particulas, ſed potius alexiterias, immiſcibiles nihilominus & heterogeneas prorſus, nec aſſimilari eidem, ſed expelli quantocyus e ſanguinis confinio.

ἐπίκρισις, Aſſentiri his poteſt, qui volet, nos mentem noſtram ſatis explicuimus, & per totum hoc opus expoſuimus, neque jam noſtrum eſt ἀντίθεσιν in alterius viri docti præjudicium aggredi, ſed id omne cordato lectori committimus. Interim certum eſt, nimia opiatorum doſi pericula quidem vitæ imminere, ſed id ipſum non tam fieri extinctione ſpirituum, quam obnubilatione, ut ſui juris amplius non ſint, adeoque functionibus ſibi demandatis præeſſe nequeant, ceu id ipſum exemplo 🜄, copioſius hauſti, aliorumque ſimilium eſt quam evidentiſſimum.

an ob uliginoſum humorem agant? Claudat agmen opinio, quam fovet *Anton. le Grand. hiſtor. natur. part. 7. artic. 9. p. 369.* narcoticam vim papaveris aliorumque adſcribens *uliginoſo* humori, quo hujusmodi plantæ abundent, unde oppleti choroidis plexus *pori* ſpiritus a corde venientes ad cerebrum transmittere nequeant, adeoque ſomnifera ſtatuit humectando & refrigeran-

gerando agere. Sed uti de humectantibus ἐνεργητικῶς id verum eſt, ita vix illud licebit applicare ad opium. ℞.

LIBRI I. SECT. II.
CAPVT I.
De correctione opii agit.

QUod *Galenus* ait *l.* 11. *meth. medend. c.* 11. difficile eſſe, eiusmodi aliquod auxilium inveniſſe, quod citra ullam noxam magnifice proſit, illud etiam in opio vel maxime locum habet.

Magnifice prodeſt, ſi rite præparatum ſit, & circumſtantiæ in doſi, indicationibus &c. obſerventur; Nocet, ſi temerario & vano auſu, præcipue crudum &, ut vocant, incorrectum porrigatur, non absque vitæ inſtantaneo detrimento. Opium prodeſt & nocet pro utentis captu

Utut enim vis major quibusdam ſimplicibus inſit, quam eorum eſſentiæ, approbatore *Helmontio in trib. princip. chim.* qui etiam *pharm. ac diſpenſ. nov. p.* 458. ait: Credo ſimplicia in ſua ſimplicitate eſſe ſufficientia pro ſanatione omnium morborum; nihilominus tamen repagula, ex ſententia chimicorum, demenda, auferenda noxia, addenda corrigentia, ut omnibus modis ceu poteſtate dotali medicamen voto nos damnet.

CORRECTIO opii occurrit duplex: 1. *ut adſumendi*, 2. *ut adſumpti.*

De priori ſi quæratur 1. *an corrigendum ſit opium?* ℞. quod ſic, probatione deſumpta, tum ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, *autoritate*, tum ἀπὸ τῶν ἔσωθεν, *ratione* ac *experientia*. Correctione aſſumendum eget opium.

Autoritas adeſt omnium adeo medicorum, veterum & recentiorum, ut ſuperfluum ducamus, adducere teſtimonia. conſenſu omnium,

Inprimis chimicorum. Correctionem inprimis urgent *Chimici*, παῦρα γὰρ ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ, *pauca enim immiſta eſſe bona, multa vero noxia*, unde homogenea ab heterogeneis ſeparanda cenſent.

Correctionis ratio. *Ratio* ſubſequitur. Cum redundent in opio halituoſæ excrementitiæ particulæ, quæ chimicis lentum & fœtidum ſulphur audiunt, utique correctionem aliquam expoſcere videtur. *Experientia* idem confirmat, teſtata, non æque proficuum eventum ex incauto & incorrecto uſu ejus promanaſſe. Felix, ait *Helmont. jusduumv.* §. 64. æger, cujus auxiliator medicus novit lethalia e papavere ſeparare, retento auxilio. Alioqui ſane nocuum cum proficuo ſimul aſſumuntur, unumque impedit alterius profectum.

Modus corrigendi veterum, per calida, 2. *Quid & quomodo corrigendum?* Aliter corrigunt Galenici, aliter chimici. Veteres, cum frigidum in quarto gradu ſtatuerent, calidis id præſtare annitebantur, pipere, zingibere &c. Succo papaveris admiſcebant euphorbium; mandragoram, aliasque herbas conclamati frigoris pipere temperabant, *Macrob. l.* 7. *Saturn. c.* 5. *p.* 522.

Ipſi addita, Hinc in compoſitionibus illa opiatis perpetuo addebant, duplici de cauſa, 1. uti jam innuimus, quo frigiditatem hanc intenſam corrigerent, obtunderent, adeoque ne corpori humano adeo nocere poſſent, efficerent, 2. ut vires ſuas mediantibus calidis penitius in dolentes partes vibrarent. Utrumque conjungit & eleganter declarat *Pergamenus l.* 8. *de comp.* καθ' τόπ. *c.* 4. ubi: quo ſtupefactio non cum magno detrimento fiat (ſtatuit vero narcotica frigida) & ut per altum dolentium corporum frigiditas penetret, calefacientia miſcentur, quæ refrigerantium ſtupefactionem deducere poſſunt, cum illa ipſa per ſe tardi tranſitus exiſtant.

in ſpecie caſtoreo; In ſpecie vero *idem l.* 8. *loc. cit. c.* 3. ſcribit, oppoſitum

ferme

ferme opio facultate eſſe caſtoreum. Sed tum hoc ipſo loco, tum *l.3. præcedente c.* 8. manifeſtis verbis innuit, caſtoreum opio admixtum eſſe ab Apollonio & Aſclepiade, ut videlicet vehementiam refrigerandi facultatis in eo obtundat. Hæc hypotheſis cum hodie per ſupra dicta ſit falſa deprehenſa, non neceſſum eſt, ea de cauſa correctorio hoc uti, niſi forte dicere velimus, caſtorei vires in affectibus ſoporoſis tollendis eſſe notiſſimas, adeoque etiam ſoporiferis corrigendis non deſtitui virtute ſingulari. Sed quantum de eo accedit, tantum virtutibus opii decedit.

Idem caſtoreum *Abuali l. 4. fen. 6. tr.* 1. *ſum.* 3. *c.* 1. opii theriacam, quod ſuccurrat corruptioni opii, & nocumento & veneno ejus *l.* 3. *fen.* 13. *Tract.* 5. *c.* 13. *Guainerius de venen. cap.* 9. opii bezoar adpellant. Opii antidoto,

Caſp. Hoffmannus, animadverſ. in Montan. c. 7. *§.* 16. *p.* 81. ejus antidotum dicit eſſe malvaticum, quod ipſum jam *Pergamenus* ſcripſerat *l.* 3. *de ſimpl. med. facult. c.* 19. ubi vinum calidum ebibitum, ſed vetus, generoſum, polyphorum, præſentiſſimum opio ſumpto remedium eſſe & docet, & experimento confirmat. Sic etiam *Rondeletius*, *Grevinus*, *Conrad. Kuhnrath*, & alii alexipharmacum opii ajunt eſſe vinum, & præſertim meracum, generoſum, unde in compoſitionibus opiatis diſſolvi jubetur eodem, ceu ſolutivo & correctivo, itidem ob hypotheſin, opium eſſe frigidum & ſiccum. Quo de obſervationem habet *Chriſtoph. a Coſta l. arom. p.* 236. ubi Turcus Adenſis in penuria opii vinum ſibi & ſociis dandum petiit, alias ne biduum quidem ſuperviðturos; id quod tamen ob analogiam potius, calefaciendi & roborandi, quam opium obtundendi, factum eſſe facile patet. Et vinum ipſum ex hac opinione adſumpto magis, quam adſumendo opio prodeſt. vino generoſo,

Prædicantur & alia opii corrigentia ab autoribus. Ita & alii,

croco, myrrha, ſalibus. præter caſtoreum corrigi id ſcribit croco *Fernel. l.* 4. *meth. med. c.* 7. myrrha *idem l.* 6. *meth. med. c.* 5. ſalibus *Dioſcorides l.* 5. *cap* 126. *circa fin.* ubi: contra hauſtum opium & fungos ſalia cum oxymelite bibuntur; unde & inter recentiores *Helmontius*, ſopores tam morboſos, quam artificiales ſeu opiatorum optime debellari per lixivia cenſet, *jus duumvir.* §. 31. *p. m.* 188.

Hæc potiora ſunt, quibus opii tum malignitatem, tum ſoporem ab eo incauto uſu, & doſi excedente, nimis longum inductum corrigere medici ſunt ſoliti.

Jungi his queunt illa, quæ in affectibus ſoporoſis a Practicis adhibentur, inter quæ non immerito locum camphora, tuetur ſuum camphora.

ſomni quæ ſunt remedia. Nos in ejusmodi caſibus eſſentiam caſtorei, elixir noſtrum cephalicum cum -∿-✱ci, -∿-um formicarum volatilem, potiſſimum laudamus, quæ tum externe, tum interne, non omiſſis quandoque acidis, profuiſſe novimus. Acida enim ſulphura tum ſalium, tum alia, obtundunt, præcipitant, invertuntque, ac exhalationem & reſolutionem remorantur, quod infinitis experimentis chimicis demonſtrari poſſet, ſi id hujus eſſet loci. Nec vomitoria pro re nata omittenda ſunt, ut quaſi vecte quodam extrudant, quicquid in ventriculo hærens naturam gravat.

Adſumptum incaute opium ut corrigendum: purgante, Si nimium opii præbium humores adeo incraſſaverit, ut alvus officii ſui obliviſcatur, *Platerus* leniens adſumendum ſuadet. *Walæus* contra *med. medend. p.* 154. optimum judicat, ſi validum exhibeatur purgans, ut attenuentur humores incraſſati; nec eſt, *inquit*, quod ſuperpurgationem timeas, nunquam enim illa in hoc caſu a pharmacis fit. Refert *idem*, binos medicos de cauſa mortis accuſatos: altterum, quod valido purgante ſuperpurgationem excitaverit, alterum, quod hanc ſiſtere volens exhibuerit narcoticum, ægro mox mortuo.

Nos,

Nos, ſi ab adhibitis opiatis alvus officii ſui obliviſcatur, in praxi noſtra feliciter ſolemus interponere pilulas aloeticas noſtras, quas eodem cum opio menſtruo paramus. pilulis aloeticis,

Baccius l.7. de thermis cap.23. p.474. uſum balnei aquarum temperatarum ad eos commendat, qui ex opio adſumto gravi ſopore ſubmerſi, & quaſi commortui jacent, ingenti pruritu interdum cruciari ſoliti. Eadem etiam commendat *Grevinus l. 2. de venen. cap. 16. pag. 208.* ob maximam frigiditate medicamenti, quæ cutim denſiſſimam reddidit, & illarum partium ſanguinem in grumum fere redegit, aut certe ob eroſionem, quam excitare potuit. Balnea cum ſint calida & humida, cutim extendunt, partes refrigeratas & exſiccatas corroborant, & per inſenſibilem tranſpirationem exhalare faciunt id, quod inter carnem & cutim relinqui potuit, ſanguinemque priſtino vigori ſuo reſtituunt. Locum hæc habent, ſi ad ſanum ſenſum redigantur. balneo temperato,

Caput II.

De præparatione & correctione opii, per evaporationem.

NOtiſſima in ſcholis chimicorum eſt correctio opii per ignis mediatum contactum, quæ fit leni ♀ris fœtidi, φλογιςῦ, immaturi, evaporatione, & creditur hoc modo cogi, ut maleficium quod in ſe habet, exſudet. Hermetici enim quamplurimi, e quibus nominamus *Quercetanum, Hartmannum, Brendelium, Zwelferum*, aliique moderni id corrigunt toſtione ſuper lamina ferrea ſeu patella. Scinditur in minuta fruſtula opium, & in laminam, orbemve appoſite collocantur ſegmenta, ne ſe tamen arctius attingant invicem particulæ, ſubdito moderato carbonum Correctionis opii leni ♀is evaporatione, proceſſus,

 igne

igne ſenſim exhalare ſinitur ſulphur dictum vaporoſum, donec odor papaveraceus teter exſpiret, & in pulverem facile teri poſſit, ad ſiccitatem inſtar aloes redactum. Expectant quidam, donec aromaticum de ſe ſpiret odorem, quem inde ſibi pollicentur.

ab aliis igne leni,

Inprimis celeberrimus *Zwelferus append. ad animadverſ. p.* 79. opium, *inquit*, per exhalationem narcotici ſui ſpiritus ſuper patellam ferream igne leni paratum, laudano cuicunque fere eſſe æquiparandum. Nonnulli ad præſcriptum *Severini in vipera Pythia part.* 3. *c.* 6. *p.* 460. ſimul tantillum ſucci arantiorum acerbiorum inſpergunt, & ferro ſubinde eousque verſant, dum abſumpto pauxillulo & refrigerato videas, num ita induruerit, ut pulveriſari poſſit, cavendo ſedulo, ne amburatur.

ab aliis fortiori peractus,

Alii toſtionem hanc eo usque procraſtinant, ut plane calcinetur opium, cineresque propinant, qui tamen omnes penitus vires amiſerunt, avolantibus narcoticis & ſoporiferis particulis omnibus, & eſſentia per ignem deſtructa.

examinatur & rejicitur.

Mirum enim eſt, quod autores nonnulli liberare opium contendant a ſulphure ſuo narcotico, cum tamen illam ipſam intendant, quærantque & expectent virtutem ex opio. Non caſtrandum eſt opium virtute narcotica, non ſulphur narcoticum ſeparandum, alias evanidum fiet & nullarum virtutum. Sed heterogenea ſunt ſemovenda. Nam opium ſi terreatur ſupra carbones, unde flamma excitetur, quomodo ero certus, quod non vis illa, quæ operationem narcoticam efficere debet, torrefactione pereat, & ſaltem noxa abeat, hac illæſa, ut illa *M. Meieri de ſept. mont. Planet. c.* 1. *p.* 69. huc applicemus, ubi & mirandum eſſe, *ait*, quosdam promittere horum a ſe præparatorum medicamentorum, alias fortiſſimorum, doſes dupli-

plices aut triplices, imo ut pro ſaccharo tuto aſſumi poſſint absque noxa, cum tamen ab innatis virtutibus multum ſpolietur & deſtruatur. &c.

Excuſari tamen poſſe videntur, ſi diſtinguatur inter ſulphur hoc anodynum, quod ab effectu eſt & dicitur narcoticum. Duplex enim eſt hoc ipſum, ut innuit *Quercetanus tetrade cap. affect. c.*16. *p.*213. aliud putidum ac narcoticum, aliud mitigativum. Sed ſi rem penitius introſpiciamus, differunt ſolum magnitudine, ſeu gradibus, jam magis & minus non variant ſpeciem. Exceſſivum illud ſylveſtre & capiti grave ſulphur, ut in terminis loquendi maneamus, ſeparatur, ne nimia evaporatione noceat cerebro & ſpiritibus animalibus & ad eum gradum redigendum, qui temperamento animalis hujus œconomiæ ſit appropriatus, unde cum opium narcotico 🜍re nimium tinctum ſit & infectum, eatenus correctio quædam & concedi poteſt & neceſſaria videtur, de qua tamen jam plura. Sed cavendum eſt, ne, dum vitia vitantur, toſtione in contrarium fiat tranſitus, & virtus una pereat.

🜍 Anodynum duplex,

Hinc non ſolum ex recentioribus *Poterius*, Chimicus non infimi ſubſellii, hoc ſuffumigatum laudanum minus virium obtinere obſervavit, unde tantum probat ▽S, *pharmacop. ſpagyr. p. m.* 251. Sed & dudum id culpavit *Galenus* (neque enim præparatio hæc nova eſt) qui de hac ipsa *l.*3. *de compoſ. med. κατ᾽. τόπ. cap.*8. prolixe agit. Ibi enim disquirens, quam ob rem non modo Apollonius, ſed alii etiam quidam celebres viri opium (loquitur ſimul etiam de caſtoreo, quod vero hujus loci non eſt) torrefacere juſſerint, duas potiſſimum ob cauſas illud factum *ſcribit*, 1. quo vehementia virium ipſius minueretur. 2. ob ejusdem malignitatem. His fuſius reſpondet, & binis vicibus repetit, & inculcat, torrefactum hoc modo opium efficaciam perdere, & id ſe ſæpius eſſe expertum.

tum a recentioribus tum ipſo Galeno,

Ex

& hunc ſequentibus; Ex hoc loco quoque *Bernhardus Deſſen. Cronenburg. l. 1. de compoſ. medic. p.* 48. torrefactionem opii damnat.

Mentionem hujus præparationis facit & *Abuali l.2. tr.2. cap.* 526. quam ſubtilem videtur affirmare, opium, *inquit*, aſſatur ſuper laminam ferream ignitam, & fit rubeum.

ἐπίκρισις autoris. Conſultius exiſtimamus, aut omittere hanc præparationem, aut leviſſimo ſaltim calore ita tractare medicamentum, ne vires perdamus, quas tam ſolicite quærimus. idque eo magis, quod ipſimet hujus correctionis patroni fatentur, dicto modo torrefactum opium vix flammam concipere, manifeſto indicio, illud ſulphure, adeoque viribus narcoticis exutum eſſe.

Alius proceſſus. Par ratio eſt, ſi quis inſtar ſcammonii ſulphurati fumo ſulphuris id præparare ſuſtineat, ut præter calorem & acor accedens majus pondus addat correctioni. Veremur enim, ne tantum virtutis amittat, quantum aciditatis admittit.

Caput III.

Menſtrua extrahendi opii, & primo ſalina.

Correctio opii in depuratione conſiſtit, SI fateri volumus, quod res eſt, correctio opii conſiſtit in ejus depuratione, quod habet commune cum aliis, v. g. attende aloen, ſcammonium, ladanum; Hæc ſi cruda quis introdare velit, ut olim illud toto die factum eſt, tormina, & quæ ab aloe præſertim & ſcammonio timentur incommoda alia, conſequi, facile colliget is, qui hæc præparavit manu ſua, vel ſaltem præparari vidit. Remanent ſcil. longe magis, quam in opio ipſo arenoſæ & aliæ excrementitiæ partes, quæ corpori nocent. Et id certisſimum habemus, nunquam ab opio ulla timenda eſſe incommoda, ſi bene depuratum ſit.

Depu-

Depuratio fit ſolutione & ſeparatione. Solutione, mediante calore & digeſtione facta, pars inſtar ſpumæ ad ſuperficiem fertur, pars in fundo ſubſidet, media purior & deſiderata eſt, prior vero utraque per lacinias, vel filtrum ſeparari poteſt, & remanet, optima vero perfluit & ſeorſim colligitur. Hinc de accommodo & appropriato genuino menſtruo ſoliciti ſimus, neceſſum eſt.

quæ fit ſolutione & ſeparatione.

Ut vero ſub tribus ſolventium tota familia continetur generibus, & menſtrua ſunt vel aquea, vel ſulphurea, vel ſalina; ita & triplex hoc opium extrahendi datur menſtruum.

Menſtrua opium extrahendi,

Frequentius hactenus in uſu fuere menſtrua ſpirituoſa & acida, diſceptantibus tamen inter ſe autoribus, quænam harum præparatio ſit melior.

Sub acido militant, acetum tum ſimplex, tum deſtillatum, ſuccus citri, cydoniorum, limonum, ✙tum ♀is ſulphureum, quo opium extraxit B. D. Ausfeld, teſte *Nob. D. D. Vollgnad noſtro, Diſp. de Hemicrania*, ſpiritus ⊖, ⊕li, aliaque, quæ nuper *exercitatione de menſtruis* latius expoſuimus.

acida, lenia & fortia,

Hinc alii ſolum ✙ ſuperfundunt aliquoties, exiccant iterum & pulveriſant, cujus loco iterum alii -∿-um ⊕li per ✙ ſumme rectificatum, alii ſuccum citri affundunt, ſæpeque irrorant & exiccant.

inprimis per ✙

Apud Indos, teſte *Bontio l. 2. de meth. med. Indor. cap.* 4. *p.* 10. etiam per acetum corrigitur, ubi utiliſſimum & ipſi laudatiſſimum extractum croci Indici, per quem intelligit curcumam, ſeu potius laudanum opiatum deſcribit.

Alii opio pulveriſato affundunt acetum, deſtillant per XX igne forti, donec opium in fundo ad ſummam ſiccitatem perveniat, idque cohobant tertia vice.

Plerique vero, qui acida eligunt, opium groſſo modo

Proceſſus. conſcindunt, affundunt 🜊 ad aliquot digitorum eminentiam, digerunt, filtrant, & leniter inſpiſſant in extracti formam. Inter hos primarios nominamus *Quercetanum, Horſtium, Sylvium, Langium*, &c. Sunt tamen, qui opium leniter torrefaciunt prius, quam illud affuſo aceto deſtillato extrahant. *Glauberus furn. Philoſ. part.* 3. *c.* 24. *p.* 56. recludit opii ℥iv. ~us ⊖lis. ℥iß. & 🜿 purgati ℥j. hinc extrahit cum 🜈.

Compoſitio Langelottiana. Elegans compoſitio eſt chimiatri excellentiſſimi *Dn. D. Joelis Langelotti*, quam primo ad *Bartholinum cent.* 3. *epiſt.* 45. *p.* 188. & hinc longe fuſius ad Academiam curioſam, deſcripſit, vid. *Ann. III. Ephemerid. German. obſ.* 59. *p.* 100. ubi ſub titulo novæ opium præparandi rationis veræque ejus eſſentiæ deſcribitur. Fit 1. ex *opii* Thebaici ℔j, ſucci cydoniorum ℔x, ⊖ 🜿ri puri & ſicciſſ. ℥j. 2. addendo, cum per diem unum & alterum ſtetit, ſacchari ℥iv. 3. Blando calore promovetur fermentatio. 4. Hinc medius purior liquor, a ſuperiori ſpumoſa, & inferiori terreſtri parte caute ſeparatus, filtratus ad mellaginem inſpiſſatur. 5. Denique 🜈 alcohol. hæc diſſolvitur, digeritur, & ad juſtam conſiſtentiam abſtrahendo ſervanda vera opii eſſentia.

Menſtruum lixivum. Ad ſalinum menſtruum pertinet & lixivum. Cum enim ex ſupra dicta Helmontiana hypotheſi ſopores nimii per lixiva optime debellentur, & ⊖lia *Dioſcorides* contra opium commendet, hinc multi credunt, opium optime corrigi & extrahi poſſe cum lixivioſis v. g. 🜿eis. Sic *Glauberus* per alkaheſt miteſcere ait, *oper. mineral. p.* 1. *p.* 61. *D. D. Etmüllerus in chirurgia infuſoria c.* 3. *concluſ.* 2. §. 7. ⊖le alkali fixo inprimis 🜿ri cum terebinthina debitam opii fieri per digeſtionem correctionem, *ſcribit*, & fieri ſic opium tutum & mirabile in magnis quoque morbis remedium. Sic cum tinctura 🜿ri etiam id ipſum non infeliciter quidam moliuntur, unde conflunt eſſentiæ elegantes & ſplendidæ.

Ratio-

Rationes, quibus acidorum extrahentium patroni utuntur, potiſſimæ ſunt 1. quod acetum venenis adverſetur, & in hyoſcyami opiique adſumptorum correctione optime ſe gerat, quin & contra ſerpentum etiam venenatiſſimorum ictus faciat, teſte *Celſo, l.* 6. *cap.* 27. 2. acrimoniam & caliditatem opii corrigit. Ut miteſcunt 🜔lia volatilia ab acidis, & quaſi fixantur, ut radix ari c. 🜊to præparata non amplius linguam ita mordicat, ſinapi, raphanus ruſticanus, naſturtium & alia cum 🜊to appoſita miteſcunt; ita & 🜔lis volatilis opii fixationem quam optime præſtat, in quo correctionem ejus genuinam conſiſtere credunt. Contra ea 🜄 tantum 🜍 extrahere, 🜔 vero intactum relinquere (quod pro extrahendis 🜔libus particulas non aptas obtineat) acetum vero utrumque, & malignitatem inſimul edomare, perhibent. *(Rationes pro acidis menſtruis. 1. 🜊 opii virulentiam obtundit, 2. acrimoniam corrigit & figit.)*

Eadem ratio eſt ſuccorum aliorum e vegetabili regno acidorum. Accedit 3. quod ſuccus cydoniorum acidaque recenſita, ſtomachum, cui opiata non æque proſunt, confortent. Præparatio hæc cum ſucco cydoniorum Helmontiana quoque eſt, quam *Helmontius* filius eaſdem obtinere virtutes, cum ea, quæ fieret per Alcaheſt, & medicum felicem, qui opium ita præparet, aſſeruit apud *Tachenium epiſt. de liq. alcaheſt. p.* 27. *(3. roborat ſtomachum inprimis ſuccus cydoniorum.)*

Nos, ut breviter ἐπικρισιν noſtram exponamus, in genere quidem libenter concedimus, ab acidis obtundi opiata, figi eorum ſal volatile, & hinc tutius ea adſumi poſſe, ſed an id fiat virtutibus & qualitatibus, quas tamen exin elicere eſt animus, illæſis, de eo mirum quantum dubitamus. Hinc, ut illa ex *Glaſero* vertamus *traitte de la chymie l.* 2. *c.* 11. *p.* 322. qui conſiderant in opio partem 🜍eam volatilem, & ſalinam internam, quibus primario ſuam debet virtutem, ea vero cum acidis habent contrarietatem, tantum abeſt, ut correctionem illis perfici credant, ut po- *(ἐπίκριϛις.)*

tius multum, ſi non totum, deſtruatur,& caſtretur. Deinde, qui præparavit opium, ſeu ejus extractum confecit cum 🜊to, negare non poterit, remanere multum de ſalinis acidis 🜊ti particulis, quæ nares odore conſtanti abunde & mordicant & feriunt, ut adeo imminui ex parte ſaltem, ſi non maxime, vim leniter demulcendi ob acres, acidosve humores dolente partes, & poros cerebri occludendi, certo ſit certius. Quemvis tamen ſenſu ſuo abundare libenter patimur.

🜊to ſimplici non extrahendum opium.

In ſpecie conſultius videtur, 🜊tum ſimplex ob partes craſſiores, 🜿eas admiſtas, quas in ♌tione videre eſt, plane omittere, ne ſubtiliori parte ejus per evaporationem ablata, excrementitiæ, liceat has ita nominare, cum opio jungantur, & feces cumulentur fecibus.

De ſuccis expreſſis judicium.

Quoad ſuccos expreſſos alios acidos vel his confines, egregias inde conſurgere compoſitiones, fatendum eſt, ſed id tamen monere videtur operæ pretium, ſalva manente cujusvis agendi libertate, & neminis in præjudicium, quod neceſſario, ſi cum eis extrahatur opium, horum extractum proprium, forte paris, ſi non majoris, cum extracto opii ponderis, ſimul emergat, quod ipſum tamen vires non auget, ſed imminuit, diditis inter ea opiatis particulis, & fit v. g, rob cydoniorum opiatum, extractum cydoniorum opiatum.

⊖lia pilulas non bene ingrediuntur.

Sin addantur ⊖lia, v.g. ol. 🜿ri per deliquium, vel cryſtallinum, ſiccum, verenda eſt & fermentationis annihilatio, quæ intenditur tamen, & ne extracti forma, ob humidi attractionem, ſalibus familiarem, ad pilularem conſiſtentiam aliasque compoſitiones opiatas ſibi relictas fiat aliquo modo inconveniens, ut alia, quæ in contrarium dici poſſe norunt naturæ periti, ſilentio involvamus. Judicium *Tachenii* ſincerum eſt, *loc.cit.* non aliam minorem virtutem ab ejus exhibitione deprehendi, quam ex ſolita & ſimplici correctione.

CAPVT

CAPVT IV.

Alterum extrahendi opii menſtruum, ♀eum.

CVm oleoſis aromaticis extrahendi modus hactenus uſitatus non fuit, cum ſpirituoſis vero non infrequens.

Quidam illum opii corrigendi modum amplectuntur: Decoquunt illud in vino Hiſpanico dulci, & bene maturo, idque tamdiu leniſſimo igne continuant ad evaporationem vini Hiſpanici, iterando etiam affuſionem, & coctionem priori modo, donec acquirat conſiſtentiam mellis, addendo tunc pro lubitu alia mollia vel ſolida, quæ deſcriptio eſt *Lindenii in not. mſſ. ad praxin Hartmanni Tit. de anodynis.* Extractio opii per vinum Hiſpanicum.

Illuſtri etiam *Boyleo* opii ea videtur optima præparatio, ut in vino cum æqua parte puriſſimi ſalis 🜿ri digeratur, teſte *Hamelio l. 2. de corp. affection. c. 5. t. 8. p.* 448. vinum cum ⊖le 🜿ri,

Thomſonus epilogiſm. chim. 130. *p.* 76. ⁓um ⊖lis vinoſum, quem *pag. ſeq.* deſcribit, pro menſtruo commendat, cui hinc ⊖ 🜿ri jungit, & ♀ ♂tis, hinc cum 🜅 alcaliſato extrahit. ⁓ ⊖ vinoſum,

Sennertus, Poterius, Billichius, Zwelferus, & alii opium per 🜅 corrigunt, eſſentiam eliciunt, extractoque ad juſtam conſiſtentiam redacto, tincturas ſpec. diambræ, diamoſchi d. cum magiſteriis & oleis cordialibus, vel extractum croci, corallinum pulverem & guttulas aliquot ⁓us ⊕li &c. jungunt. 🜅.

Media via incedunt, qui primum ✢to, hinc 🜅 extrahunt, ut Londinenſes, vid. *Pharmac. Londin. p.* 230. & qui *Beguinum* ſecuti opium extrahunt 🜅, cum ⁓ibus acidis, ⊕li, ♀is, acuato. per ✢ & hinc per 🜅.

Pro ∇ rationes.

Rationes pro ∇, quo pertinet & frumentaceus, item ∼us ſambuci, citri, theriacalis, aliique, ſunt, non quod opium reputetur frigidum, cum omnis iterum ∇ per evaporationem, vel ꝏtionem avolet, adeoque a calore hujus correctionem realem expectare non poſſit, ſed 1. quia opium abundat 🜍e, ſeu reſinoſitate, jam vero ∇ his eſt homogeneus, cum iis ſymbolizat, & genuinum reſinoſorum eſt menſtruum. 2. quia vapidas & halituoſas opii particulas naturæ amicas reddit, neque vires obtundit.

∇ ⊖ opii non relinquit intactum,

Nec timendum eſt, quod ſuperius modo tactum fuit, ∇ ⊖ intactum relinquere, neque extrahere, cum experientia chimica conſtet, illum ipſum non ſolum non reſpuere conjugium volatilium ſalium, (qualia in opio eminent) ſed ex parte ipſorum etiam vulgo dictorum fixorum, quo de vid. *Specim. experim. noſtri de ⊖ vol. plant. c. 5. p. 36. & exerc. de menſtruis cap. 3.*

nec 🜍eas ſecum aufert partes,

Nec ſufficiens eſt altera objectio, ∇um ſe unire intimius cum partibus narcoticis, ſulphureæ ejusdem naturæ ſymbolicis, illas elevare ſecum in evaporatione vel abſtractione, quod vero in fundo reſtat, tantum eſſe ſubſtantiam terreſtrem, dotibus ſuis principalibus orbatam. Si enim praxin & experientiam ſequamur, tantum abeſt, ut ∇i opiatus, ſeu ab opio abſtractus ſit narcoticus, anodynusve, præter propriam ipſius agendi ſphæram, ut potius τῆς μίξεως τρόπος non dimittat hancce opii virtutem, ſed eandem ſartam tectam relinquant ∼uoſa hæc menſtrua.

neque auget vim narcoticam,

Quod vero quidam dicunt, intendi a corrigentibus hisce ſpirituoſis vim narcoticam, & exaltari deleterias qualitates, non videtur admittendum, cum, ut dictum jam fuit, omnis ∇ iterum avolet.

nec minuit.

Notanda eſt curioſa obſervatio, qua conſtat, extractum opiatum, cum ∇ paratum, majores exercere narcoticas vires,

vires, quam quod cum aceto deſtillato factum fuit. Hoc ergo modo ℞ *opii Thebaici, puri, ſuccoſi, pulveriſati* q. v. *partem* verbi gratia j. 🜈 *probe rectificati partes* vj. Digerantur leni calore, extracta tinctura decantetur, vel filtretur, & abſtracto 🜈, ſi in majori copia præparetur extractum, vel evaporato, ſi in minori, pro lubitu tamen, ad conſiſtentiam deſideratam redigatur. Proceſſus.

Dictum eſt notanter, requiri 🜈 probe rectificatum & dephlegmatum, alias enim feces, quas ſecum vehit, cum opio relinquit, ventriculo & toti corpori nauſeabundas, inutiles, quod ex chimica praxi etiam de vino Hiſpanico notum eſt. Neque incommodum eſt, ſed longe optimum, ſi quis 🜈 ♀riſatum loco communis recipiat. Cautela.

CAPVT V.

Tertium pro extrahendo opio menſtruum, aqueum.

RESTAT, ut & de aqueis dicamus ſolventibus, ut ſunt aqua ſimplex vel ♌ta, ros majalis ♌tus, & alia. Solventia opium aquea;

Sic *Martinus Rulandus* junior *in excuſſ. apolog. Oberndorfer p.* 89. refert, Muſcagliam Cæſareæ majeſtatis medicum opium contuſum lavaſſe, & affuſa aqua coxiſſe, reſtibili ſucco mellito addendo ſpec. diambræ. Cujus nepentheos, *addit*, & opiati ſimplici filo parati uſum tutum nos plerique experti ſumus, admirantes ſimplici coctura opio malignitatem illam narcoticam demi, & adeo benignum fieri & innoxium. ſimplicio-ra.

Ita & *Glaſerus l. c. p.* 320. *ſq.* opii extractum præparat cum ∇ roris majalis, &, ut eum in latinum traducamus ſermonem, ceu omnino meretur, proceſſum ponit ſequentem: 1. jubet opium conſcindere in partes minutas, 2. Proceſſus.

hinc

hinc illud explicatum in patina terrea vernificata, aliquo modo torrere, donec fiat friabile digitis, vitando interim effumationes nocentes, a 🜍e narcotico provenientes. 3. ſuperfundere huic ſic præparato rorem majalem ♌tum, q.ſ. digerere per 4. σ ρ. in MB. liquorem tinctum decantare, reaffundere menſtruum dictum, donec ſufficienter fuerit extractum. 4 filtrare totum id, & evaporare in MB. ad conſiſtentiam extracti. Ita habebis, *concludit*, opium bene præparatum & liberatum a 🜍e ſuo narcotico, & omni terreſtreitate.

Laus menſtruorum aqueorum, Menſtruum hoc ob hanc rationem commendat *p.* 323. quod neque privet opium virtute ſalina, ut acida, nec illam ſecum auferat, ut 🜄, ſed cum leve & ſubtile ſit, facile evaporetur, ſine ulla virtutis privatione.

Sunt, quæ moneri pauca circa proceſſum poſſint, ſed cum ſupra jam diſcuſſa videantur dubia, eo ſuperſedebimus. *Hamelius l. 2. de corpor. affectionib. c. 2. t. 9. p. 344.* hanc præparationem viris doctiſſimis maxime probari ſcribit.

cujus rationes adducuntur, Certum vero eſt, aqueum hoc menſtruum pro extractione opii non ſuperficiarium, ſed maxime eſſe tum accommodatum, tum elegans, tum utile & proficuum.

1. a correctione, Hoc pacto 1. odor nauſeabundus opii perit, ſine virium deperditione, nec alius eidem imprimitur, ut fit

2. ab opii natura, cum ✢ 2. opium eſt quaſi medium quoddam, inter gummata & reſinas, hinc aquæ facile paret, & facillime diſſolvitur, quod requiſitum eſt Dioſcorideum, ex quo ipſo loco probabile emergit, jam olim hanc ipſam extractionem per aqueum menſtruum fuiſſe uſitatum, cui enim bono alias id aqua diſſolverunt, niſi ut depurarent? quod ex eo etiam probari ulterius poſſet, quod idem *Dioſcorides*, diluitionis in ſequentibus verbis, loco ſupra citato, meminit. Sed hæc obiter.

Gummoſa commode Obſervatu dignum eſt, gummoſa ejuſmodi, cum aque-

is

is extracta, vires ſuas cum corpore noſtro melius communicare, quam cum ſpirituoſis. Id e.g. de aloe eſt quam veriſſimum, quam qui cum 🜄 extrahit leniendi alvum ſcopo, næ ille egregie fallitur. Quin vel ex αὐτοψία apparet, ſtatim totam quaſi ſubſtantiam aloes immutari, cum 🜄 affunditur. Opium agit potiſſimum ob 🜔 ſuum reſolubile, ut ſupra oſtendimus, quicquid igitur reſolutionem ejusdem impedit, id cum natura ejus non adeo convenit, quam quod eandem promovet. Faciunt vero hoc aquea. ſolvuntur aqueis.

3. Sumptibus hoc modo multum parcitur. Facilior jactura eſt aqueorum, quam vel acidorum, vel 🜍uoſorum, licet ad alios uſus per XXcum poſſint recipi. 3. a ſumptibus.

4. Quam elegans vero emergat opium præ reliquis extractis, hocce menſtruo paratum, tum experientiæ cujusvis relinquimus, tum pluribus in ſequentibus tangemus. 4. elegantia medicamenti.

Ut de noſtra præparandi ratione mentionem faciamus, elegantiſſimum opium extrahendi modum invenimus cum phlegmate 🜕ti a præparatione arcani ♀ri reſultantis. Infunditur *opii Thebaici* pulveriſati pars j, cum partibus vj. vel viij. *aquæ ab arcano ♀ri reſiduæ*, mediæ, hinc vitrum calenti imponitur arenæ, agitatione cum ſpatula facta ſolvitur, ubi pars impurior ſpumoſa ſumma lambit, pars terreſtrior ima petit. Colatura per linteum facta evaporatur ad mellaginem, vel in extracti formam redacta adſervatur, laudano quovis etiam pretioſiori virtutibus par, ſi non major.

Quæ vero circa menſtrua hæc dici forſan latius debuiſſent, ea poſſunt huc peti ex *Diſſertatione noſtra, de menſtruis*, nuper edita.

CAPUT VI.

Medicamenta ex opio interna in forma media & ſolida.

Opium officinarum. INgreditur opium, ceu baſis, plures compoſitiones in officinis uſitatas, theriacam, mithridatium, Philonium Romanum & Perſicum, Requiem Nicolai, Auream Alexandrinam, trypheram magnam, pilulas de cynogloſſa & multa alia, in quibus omnibus fere peccatum pluralitatis eſſe, cum *Helmontio* ſtatuere nemo ambigit, qui vel tenuiter in chimicis inſtructus eſt.

Quorſum, verba ſunt *Helmontii*, in aurea Alexandrina 65. ingredientium confuſio fecit? Quorum ſimplicium nulla eſt cognatio cum opio & mandragora, columnis confectionis? *pharm. ac diſp. modern.* §. 42. & 44.

Laudani opiati notatio. Celeberrimum in foro Hermetico & *LAVDANVM OPIATVM*, ceu laudatum ex opio medicamentum, quaſi laudatum, & fere laudabile remedium dixeris, *Hol. zem. de eſſ. helleb. c.* 6 *p.* 42.

Laudanum, quaſi lauda non, miſochimicis audit, ut *Saguyerio ſchol. in pharmacop. Fernel.* unde *Libavio*, licet chimico, vocabulum eſt barbaricum & Paracelſicæ dementiæ conveniens *l.* 8. *ſyntagm. arcan. chim. c.*44. *Billichio* barbarum & ineptum, *l.* 2. *obſ. & parad. chim. c.* 2. *p.* 110. ſine ulla cauſa & ratione in vacuum nomen detonantibus.

Laudanum, & non ladanum, eſt medicina Paracelſi, ex auro, coralliis, unionibus &c. compoſita; Eſt etiam materia perlata, ut tradit elucidator ejusdem in *dictionar. Paracelſ. Gerhardus Dornæus p. m.* 133.

Nonnulli laudanum dictum eſſe putant ab articulo barbaro & anodyna, quaſi dicas L'anodyna; alii quod ladanum Cyprium æmuletur. Vid. *Rivin. de agrypn.* §. *antepenult.*

Eſt nepenthes verum, Dicitur & Nepenthes opiatum, ita primitus a *Zwingero* nominatum, quod imitetur nepenthes Homericum, quo Helena omnem animi morbum, omnes animi languo-

guores & dolores abegit, hilaritatemque conciliavit. Eſt vero nihil aliud, quam extractum opii, cum aliis confortantibus remixtum.

Laudani hujus deſcriptiones tot fere reperias, quot autores illius meminerunt. Aliam deſcriptionem habet *Theophraſtus*, *Crollius*, *Quercetanus*. Pluresque collegit tales *Grülingius*, *Schröderus*, & plures alii. Aliam *Würtz* *part*. 3. *de vulner*. *cap*. 3. *p*. 663. imo penes ipſos pharmacopœos modernos in officinis mirum quantum variant. Quatuor deſcriptiones videre licet apud *J. P. Lotichium*, *diſſert. de febb*. §. 59. *p*. 103. *ſeq*. Ex quibus & aliis formulis vel abunde ſatis clarum eſt, *inquit*, quam providum & perſpicacem eſſe oporteat medicum in præſcriptione *LAVDANI*, cum diverſam deſcriptionem præparationemque alius pharmacopœus ab alio exhibeat facile & contingere poſſit, ut in eadem civitate laudani uſum in plures officinas præſcribens medicus, pro diverſitate operationis medicinæ hujus opiatæ, aut deſiderata efficacia fruſtretur, aut reſpective pharmaco expeditius operante, culpam erroremque penes ægros incurrat, niſi ipſi uniuscujusque officinæ deſcriptiones apprime cognitæ fuerint. Præſtaret igitur, regia iſthæc & exquiſita remedia, uno eodemque modulo, in officinis proſtare, ne error damnumque committatur inde, dum unum pro alio præſcribenti, neque ſemper adſtanti medico obtruditur.

cujus deſcriptiones extant plurimæ,

unde cautum eſſe decet medicum,

Non opus eſt, Lectores prolixa deſcriptionum congerie onerare, quas auſim dicere ultra trecentas hinc inde proſtare, ſi quis omnes curioſe vellet colligere.

nec opus eſt eas hic conſcribere,

Notari vero circa hoc laudatum medicamentum poteſt, *primum*, ſaniores chimiatros ab ipſius confectione excludere eſſentiam radicis hyoſcyami, ſuccumve, qua admiſcet, ex deſcriptione tamen aliorum, *Theophraſtus*

notandum tamen, quædam ſecludi ex eo debere,

Paracelſus, Crollius, & alii. Neque enim vel vires adauget hyoſcyamus, quas intendimus, intendimus vero blandas naturæ, non inimicas, quibus opium jam per ſe maxime pollet & inſtructum eſt, neque id ipſum corrigit, ſed potius non dicam deleteriam vim, ſed dementationem, quam corigere animus eſt, ipſi imprimit. Novimus doctiſſimum medicum, qui eſſentia hyoſcyami probe correcta & deſpumata feliciter utitur, ſed cui bono huc illam trahimus, & multiplicamus entia præter neceſſitatem? *Deinde* cum divina hæc ἰάματα, quo ſimpliciora, eo perfectiora facilius finem ſuum adſequantur, ſi naturam, quæ ſimplicibus contenta eſt, multum vero compoſitis non raro gravatur, æmulantur, & compendioſiori commeatu vires ſuas exſerunt, quid attinet tot magiſteriis pretioſis, tot pulveribus cordialibus, tot oleis calidioribus aliisque vel obtundere medicamenti vim vel pretium & doſin augere?

quædam poſſe,

Examen opio admixtorum.

Quæ junguntur opio pro laudani confectione, diverſis de cauſis junguntur, 1. ut vim narcoticam adaugeant, ut ſuccus hyoſcyami, eſſentia vel extractum croci, (quod alii loco corrigentis, & odoris gravitatem ac pravitatem obtundentis, addunt) &c. *Jac. Zwinger. exam. princip. chim. c.*11. *p.*174. in conſortium opii admiſſos flores ♀is præclarum, *ſcribit*, condere miræ virtutis remedium, τὸ νηπενθὲς, quovis Homerico præſtantius. 2. ut corrigant & remorentur vim narcoticam, ut caſtorium, camphora, 3. ut conſiſtentiam legitimam concilient, & ſimul confortent, ut perlæ, corallia, eorumque magiſteria, ambra, moſchus &c. quæ juxta nonnullos 4. & grati odoris conciliandi gratia addi ſcribuntur.

Non eget laudanum opiatum juvante,

Horum *primo* jam repoſuimus, non indigere opium juvante ſed ipſummet omnibus indicationibus, quibus debetur, ſufficere. Ad *alterum* dicimus, ſi ſtricte velimus lo-

loqui, &, ut in rei veritate ſe habet, opium conſiderare, correctione nulla indiget, niſi depuratione, qua ipſa ſola etiam ingratior odor infringitur. *Tertium* finem, ſeu conſiſtentiam pro maſſa pilularum, ſeu laudani ex ſolo obtinere poſſumus opio. Neque *odoris gratiam* tantum venerantur ægri, quam auxilii promptitudinem. Laudanum noſtrum ſimpliciſſimum ita comparatum eſt, ut extemplo & in pulverem redigi, & in pilulas formari, &, ſi id quoque expetatur, facile in liquorem ſolvi poſſit. nec corrigente, ſed præſtat ſimpliciſſimum,

Non deficit hoc in neceſſario auxilio, neque excedit ulla violentia, neque aliorum luxuriat acceſſione. Si morbus vel ſymptoma indicet adjuvans vel dirigens, promptiſſime & ſtatim miſceri quævis poſſunt. Sic pro electuario miſceri poteſt, ſi placeat, *confectio alkermes*, vel alia, *extractum croci* & alio. ut varia indicata miſceri queant,

℞. *confect. alk. incomplet.* ℥j. *extr. croc.* ℈ß.
laudan. opiat. liquidior. g. vij.
cum *ſir. pap. rhœad.* M. F. l. a. elect.
Doſis magnit. nucis avellanæ minoris.

Sic ſi ad caput roborandum velimus præſcribere opium:

℞. ℳ*pil. de ladano* ℈j. *extr. croc.* g. v.
laudan. op. g. iij. *pulv. cephal.* ℈ß. vel plus,
M. F. l. a. pilulæ S. Stärckende Hauptpillen. Et ſic in reliquis.

Dignum memoratu eſt hoc loco, quod inſtar omnium poteſt eſſe, *SPECIFICUM ANODYNUM Paracelſi ex l. 7. archidox. p.* 815. quod ſomnum non tam homini, quam morbo conciliat; ſæpe, ait *Hermes hic*, in morbis nonnullis ſe deſertum fuiſſe ab omnibus arcanis, ſolum ſpecificum hoc anodynum miracula præſtitiſſe, extinguens morbos, ſicut ignem aqua. Specifici anodyni Paracelſi,

Deſcriptio. ℞. *Opii Thebaici* ℥j.
ſucci arantiorum, *cydoniorum* a. ℥vj.
cinamom. caryophyll. a. ℥*ß*. M. Contuſa, indita vitro, appoſito coopertorio cœco, digerantur in ſole, vel furno per menſem. Poſt ℞. *digeſtum*, exprime, iterum impone, & digere cum ſequentibus.
℞. *moſchi* ℈*ß*. *ambræ* ℈iv. *croci* ℥*ß*.
ſucci corall. magiſt. perlar. a. ℈i*ß*.
M. Digeſtione per menſem denuo facta adde *quint. eſſent*. ☉*l*. ℈i*ß*. M. Tollit omnes dolores interne & externe.

Tueri hoc optimo jure poteſt nomen laudani opiati ☉ris, quod alias admixto bezoardico vel magiſterio ☉ri, obtinetur.

Laudanum cum caſtoreo. Ad mentem nonnullorum, ſc. *Galeni, Abuali, Guainerii* aliorumque ſequenti modo concinnari poteſt laudanum:

℞. 🜄 *ſimpl. rectificatiſſ*. vel 🜂 *ſambuci, citri, croci &c*. q. ſ. partem ſextuplam v. g. vel octuplam, *opii Thebaici* ℥ij. *caſtorei* ʒi. vel ʒij. Extrahatur l. a. decantetur, inſpiſſetur, & ad uſum ſervetur. Si magis corrigere mens ſit, *camphoræ* parum in prædicto ſpirituoſo menſtruo diſſolvi poteſt, quod dehinc una cum 🜂tu iterum avolat omne.

Cryſtalli opii. Notabile eſt, ſi Tinctura opii ſeu eſſentia liquida cum 🜄 facta ad medium circiter evaporetur, & dehinc reponatur, ut frigeſcat, conſurgere in vitri parietibus cryſtallulos, oblongos, elegantes, quos aliquoties obſervavimus, manifeſtiſſimo indicio, ⊖lis volatilis. Similes cum *D. D. Hagendorn*. collegia honoratiſſimo obſervavimus in benzoe ante aliquot annos, vid. *Ephem. German. ann. II. obſ*. 240. *p*. 342. ubi ſenſim exſpirante hujus eſſentia elegantiſſima cryſtallorum ſpicula nobis obtulerunt, quos

una

una viderunt mecum tunc D. D. *Kiſnerus* & D. D. *Witte*. cydoniorum ſucci,
Vidimus idem ex cydoniis; quando enim paratur ▽ cinnamomi cydoniata cum ſ. q. ſucci cydoniorum, in fundo cucurbitæ, ſi rite operatus fueris, neque ad empyreuma omne humidum evoces, remanent extractum cydoniatum cinnamomiſatum longe elegantiſſimum, in quo ſenſim & ſenſim concreſcunt cryſtalluli pulcerrimi.

Fit hoc quandoque in aliis quoque extractis, v. g. & aliorum.
chelidonii majoris, plantaginis, & aliorum.

CAPUT VII.

Opiata in forma ſolida alia.

EGregii & multi uſus ſunt *TROCHISCI* vel *TABULÆ NARCOTICÆ Felicis Plateri tract.* 2. Trochiſcorum narcoticorum Plateri deſcriptio;
prax. cap. 13. *p.* 549. deſcriptæ, ubi & pilulari & electuarii forma plura habentur ex opio medicamenta.

℞. *opii* ℥ij. inſund. in *vino malvat.* vel 🜄 ℥iij. & poſtquam diſſolutum ſæpeque agitatum fuerit, rurſusque ſubſederit, liquor clarus a fecibus effundatur & filtretur, cui adde

ſacchari ℥ij. *cinam.* ʒij. *moſchi* ℈ß.
infuſ. gummi tragacanthæ in ▽ *roſar.* fact. q. ſ.

M. inſtar paſtæ, ſicceturque eo usque, donec in tabulas formari queat.

Poteſt omitti moſchus, quod etiam de aliis compoſitionibus intellectum volumus. Dantur enim ſæpe caſus, moſchus omitti poteſt,
ubi moſchata & odorifera ejusmodi alia vel non æque conveniunt, vel plane nocent, etiam in maribus ipſis, præſertim autem in fœminis hyſtericis, quæ vel maxime inde læduntur, a volatilitate eorundem agitatis levibus, vitioſis & excrementitiis humoribus. Hinc pro re nata melius

lius eſt admiſcere, quam ſemel admixta promiſcue propinare.

Uſus trochiſcorum. Locum habent trochiſci opiati ſeu narcotici, aſteriſco ſignati, tum in aliis affectibus, ubi opium adſumendum, tum maxime in hæmoptyſi, & catarrhorum acrium, & ſalſorum tenuium ad pulmones defluxu. Hos perpetuo ſecum geſtabat *B. Dn. D. Schenkius*, multis annis effectum eorum ſalutarem in proprio corpore expertus.

Magiſterium anodynum, ſeu In forma pulveris opiata conſiunt nobiliſſima. Ita *MAGISTERIVM ANODYNVM Rolfincianum* ſplendore ſuperbit ſuo, deſcriptum *chim. in A. F. R. l.* 5. *ſ.* 2. *cap.* 4. *p.* 321.

℞. *laudani opiati de tribus* q. v.
ſacchari canthii vel *ſolius*, vel *cum magiſterio matris perlarum miſti*, vel etiam *ſolius magiſterii* q. ſ.

pulvis anodynus, In mortario æneo terantur, miſceantur piſtillo diligenter & in vitro mundo ad uſum ſerventur. Doſis gr. v. vj. Geminus huic eſt *PVLVIS ANODYNVS confortativus B. Dn. D. Michaelis.*

℞. *magiſt. cordial.* ʒvj.
laudan. op. ſicc. ʒj. M. F. pulvis, cavendo, ne laudanum aduratur. Doſis adulto ℈ß. ℈j.

fieri cum variis pulveribus poteſt, concharum, Magiſterium hoc anodynum, ſeu pulvis anodynus, fieri etiam cum aliis accomode poteſt. Omnibus enim pulveribus miſceri poteſt laudanum opiatum. Ita *noſtrum* conſit ex *laudani opiat.* part. j. *pulveris febrilis ex conchis* part x. ita ut v. g. ad ℈ß. pulveris ſumatur g. j. vel g. ß. opii, ut hoc modo gr. j. eiusdem in 10. vel 20. partes dividi poſſit, ipſis tenellis infantibus ſine omni periculo vel metu exhibendnm.

C. C. philoſ. Ita quidam miſcent cum C. C. philoſ. ppto. Cum cinnabri nativa mixtum laudatiſſimum fit medicamentum

in

in arthritide vaga ſcorbutica,aliisque gravibus affectibus, a ſero acri acidoque dependentibus Medicus quidam celeberrimus miſcuit quoque cum ⊖ ſuccini, poſt Ωtionem perfectam olei reſiduo. Toto die id miſcemus pro occaſione morbi & indicationum, cum pulvere cephalico, cum bezoardicis, cum adſtringentibus, v. g. coralliis, hæmatite &c. adeoque cum omnibus pulveribus miſceri aptum natum eſt, ubi id intentio vel primaria vel ſecundaria requirit. & aliis,

Notandum vero eſt in præparatione, ut extractum opii vel adhuc paulo liquidius ſit, vel ſiccius, ut teri poſſit. Medio enim modo in mixtione conglobatur, & jungi renuit. modo liquidius vel ſiccius ſit extractum,

Concinne datur, tum per ſe in forma ſc. pulveris, tum cum emulſionibus factis ex ſem. papav. alb. 4. frigid. major &c. cum aq. endiv. lactuc. hypnot. Dorncrell. addito pulvere hoc anodyno, & ſaccharo perlato, vel ſir. pap. ſimpl. q. ſ. ad grat. Conſurgit inde medicamentum ſuaviſſimum & nectar anodynum, quod in melancholicis, maniacis, febribus quandoque ardentibus, ubi aquæ bezoardicæ temperatæ miſceri queunt, ut ſcorzoner. cordial. Herc. Saxon. frigida &c. præſentaneum edit effectum. datur per ſe & cum aliis.

Sumitur hoc loco vox magiſterii latius, ſicut & quandoque pro ipſo laudano opiato ſcripta legitur. Sin *MAGISTERIUM OPII* ſtricte ſic dictum quis expetat, fit illud per præcipitationem tincturæ opiatæ menſtruo *acido*, ſi fuerit cum aqueo vel ſpirituoſo extracta; vel *ſalino* ſi cum acido parata ſit. Præſtat tamen ipſe pulvis, vel Tinctura per ſe data. Opii magiſterium,

CAPUT VIII.

Medicamenta opiata in forma liquida

K Men-

MEntionem jam ſupra fecimus ♌tionis opii, unde conſurgit *SPIRITVS* & *OLEVM*.

opii ⁓, & ○○;

Spiritus opii eſt volatilis, ſudorificus, qui admixtis acidis efferveſcit, ob ⊖ volatile, quo copioſe pollet & cum quo maritatus eſt. Si rectificetur, longe eminentior conſurgit, ſicut etiam ipſum *oleum* rectificatum ſplendidum eſt.

R̄æ anodynæ

Præprimis memoranda venit *ESSENTIA* ſeu *TINCTVRA OPII*, quæ ſub *R̄Æ ANODYNÆ* titulo nobis venire ſolet, vel eo nomine magni æſtimanda, quod hoc pacto ſingulæ doſes in plures dividi guttulas, guttulæque doſibus menſurari poſſint. Imo cum aliis hoc modo liquidis commode libita quantitate additur & miſcetur, pro varia medici intentione.

proceſſus

Fieri poteſt ea vel conjunctim, in præparatione laudani opiati, ut pars evaporetur, ad extracti conſiſtentiam, pars liquida adſervetur forma, idque cum variis jam delibatis menſtruis. Quæ enim apta ſunt ſolvere opium pro extracto, eadem quoque in liquido poſſe idem exhibere in confeſſo eſt.

cum phlegmate ✠

Ita v. g. cum eodem *Phlegmate* ✠ti extrahitur R̄a. ℞. *opii Thebaici* ℥j. vel ij. pulveriſetur groſſo modo, infunde ▽*æ ab are.* ♀ *reſid. mediæ, aquoſæ*, p. vj. vel viij. Digere in arena calida, agitando cum ſpatula, donec ſolvantur omnia. Solutum coletur per linteum, & evaporetur ad mellaginem, affunde 🜄, plus minus, prout ſaturatior vel dilutior expetitur R̄a, & in momento acquiritur eſſentia anodyna longe pulcerrima.

cum aqua temperata,

Eadem etiam conficitur commode cum ▽ *temperata*; vel ℞ *opii electi* q. v. v. g. ℥j, extrahatur cum 🜄 ℥vj. addendo ⁓ ⊕l. ℥ß. l. ʒvj. ſtent in leni calore ad ſufficientem extractionem. Elegans tale laudanum liquidum deſcribitur a *Schrödero l. 4. pharmacop. cl. 2. c. 3. 14. p. 207.*

laudanum liquidum Schrœderi,

p. 207. licet ipſe optime judicet *ibidem*, eſſentias aliorum, & cariora omnia, quæ vulgariter laudanis adduntur, pretium potius, quam virtutes augere.

Eſſentiam opii cum *ſucco citri* extractam commendat *Angelus Sala*, illamque antidoto peſtilentiali ſpecificæ jungit, deſcriptione ibidem quoque poſita, *tr. de peſte.*

Eſſentia opii c. ſucco citri.

Doſis harum ℞arum vel eſſentiarum ſunt gtt. x. xii. xv. xx. Nos feliciſſime utimur iisdem in defluxionibus catarrhalibus, in tuſſi, raucedine, &c. præter alios uſus in variis affectibus infra nominandis.

Doſis.

Nonnulli præ concentratiori præbio diffuſius amant, adeoque extractam eſſentiam cum lixivioſis præcipitant, v. g. cum ⊖le 🜿ri, qualis eſt *ESSENTIA OPII LIQVIDA ANODYNA Zwelfferi. Pharmacop. Reg. claſſe* 7. *p. m.* 563. *edit. Batav.* quæ ad ℨj. ij. vel iij. in vehiculo convenienti exhibetur.

Præcipitatio. Tincturarum anodynarum.

Alii cum ⊖ artemiſiæ, abſinthii, aliisque eandem 🝏tationem præſtare ſatagunt.

Nos ſimpliciorem amamus viam; ſi enim hanc recte calcemus, varia exinde pro lubitu & diffuſiori doſi poſſunt fieri compoſita.

CAPVT IX.

Præbium Opii.

D*OSIS* opii eſt vel *ORDINARIA*, vel *EXTRAORDINARIA.*

Doſis opii

ORDINARIA opiatorum doſis eſt triplex; *infima, media & ſumma*, quæ pro præparandi opium modo admodum variant. Doſis enim opii conſideranda eſt duplici modo, vel ut *mixtum* eſt cum aliis, ſeu compoſitum, ut laudanum opiatum horum vel illorum autorum, vel ut *ſimplex* eſt extractum.

ordinaria triplex.

variat 1. ratione mixturæ,

Si

Si enim ſolum ſibi relinquatur, nec admiſceantur multa extracta cordialia, corrigentia, confortantia, utique minori præbio venit adſumendnm. Hinc v.g. in adultis infima doſis ordinarie eſt pars quarta vel dimidia grani, vel gr. j. media gr. ij. vel iij. ſumma gr. iv. vel v. Sin, uti communiter fieri adſolet, illa opio abunde maritata fuerint, doſin excreſcere & aſcendere utique oportet.

Sæpe enim in ℈ß. vel gr. v. admixtorum ſeu totius compoſiti vix granum opii, plus, minus, in aliis combinatum eſt. Hoc modo *Horſtius* laudanum ſuum opiatum cum magiſteriis ſæpius ad viij. vel x. grana cum felici ſucceſſu propinavit. *vid. l.* 8. *obſ.* 16. *p.* 417.

Exhibetur opium ad gr. ij. vel iij. Quatuor vel quinque non facile exhibemus, niſi præcedentes doſes absque effectu jam ſint exhibitæ. Correctum vero eſſe debet, utpote eſt laudanum opiatum, ait *Walæus m. m. p.* 67. Eſt enim minimo pondere narcoticum.

Avicenna doſin ejus dicit non extendi ſupra duos danich id eſt, ℈j. *l. & tr.* 2. *c.* 526. item potionem ipſius eſſe jubet quantitatem lenticulæ magnæ. Idem tradit *Serapio cap. de papav.*, Doſis ejus eſt, *inquiens*, ab uno danich ad duos, & quantitas occidens ex opio eſt ℨij.

Notandum vero eſt ex praxi medica, opium præſcribi vel *INTENTIONE PRIMARIA*, prout vel dolorem, vel vigilias, vel excreta, aliaque ſymptomata urgentia attendit medicus; vel *SECVNDARIA*; quando ob alium finem, v. g. roborandi tonum partium, ſanguinem nimis fluxilem concentrandi &c. aliis aperientibus, cephalicis, hyſtericis, aliisque medicamentis ſpecificis, ipſisque adeo purgantibus, additur, ut & quando prædicta ſymptomata, quibus primario debetur, quaſi per ἐπίκρασιν, ob vires debiles, affectus ipſius qualitatem, aliasque circumſtantias tollere eſt animus.

2. ratione intentionis primariæ, vel ſecundariæ,

Pri-

Primo modo in majori doſi ad gr. j. ij. iij. & ultra præſcribitur, in liquida, ſolida vel media forma. Poſteriori ita illud moderari fas eſt, ut pro doſi una quarta, tertia vel dimidia pars grani adſumenda veniat, præprimis, cum frequentior ipſorum indicatur uſus. Hoc modo recentiores ſæpius opiata in formulas ejusmodi recipiunt, exemplo celeberrimi *D. D. Sylvii*, cujus in praxi talia exempla ubivis occurrunt, & eadem medendi ratione nos feliciter in praxi hactenus tota die utimur.

Ut purgantia ipſa ſæpe aliis medicamentis adduntur in ſolito minori quantitate, non ut purgent, ſed ut aliorum medicamentorum virtus intendatur, ut tum ad aperiendum, tum ad ſudorem aut urinam movendam fiant efficaciora, quo de vide locum longe elegantiſſimum apud *Proſp. Martianum comm. in l. 2. de morb. ſ. 2. verſ.* 214. *p.* 176. Ita qui opiata cum aliis, pro re nata, artificioſe miſcere noverit, næ ille feliciter rem ſuam geret. Talia exempla hinc inde præſertim in ſequentibus videre licet. quod illuſtratur exemplo purgantium:

EXTRA ORDINEM doſis ſæpe extenditur, tum propter conſuetudinem, tum ob morbi urgentiam, tum denique ob temperamentorum diverſitatem. Extraordinaria,

Turcas, Perſas, aliosque orientalis plagæ incolas ad ℈ß. & ʒj aſſumere opium, notius eſt, quam ut teſtibus egeat, quam doſin tamen non facile tranſcendere eosdem, ſcribit *Bellon. l.* 3. *obſ. c.* 15. vulgatiſſimum nempe eſſe apud Mauritanos, Africanos, & Aſiaticos opii uſum, autor eſt *Chriſtoph. a Coſta libr. arom. p. m.* 236. & ejus uſui ita adſuetos, ut etiam abſtinere eo nequeant ſine manifeſto vitæ diſcrimine, & gravisſimis ſymptomatibus, *Garc. ab Horto l.* 1. *hiſt. arom. c.* 4. Idem de Ægyptiis teſtatur *Proſper Alpinus, l.* 4. *de med. Ægypt. c.* 1. *&* 2. major apud orientales,

minor apud Europæos,

Apud Europæos non quidem niſi pro medicamento in uſu eſt, & in minori, ut diximus, doſi, unde ſi paulo liberalius ſumatur, damna manifeſta inde conſurgunt. Ita 22. grana in febri tertiana notha ad dolorem capitis & vigilias præſcripta in pilulis, eaque pro lubitu ſumenda brevi devorata, brevi morti ægrum dediſſe, annotat *Wepferus Tr. de apopl. p.* 256.

Medicaſter parochus ſæpe in doloribus capitis & dentium propinavit opium ultra ℈j. ignaris plebejis, ſed cum detrimento maximo illud expertus pellio, qui eccentricitatem rationis inde paſſus ad amentiam fuit perductus, apud *Neſter. conſil. antidyſent. c.* 11. *p.* 249.

niſi morbi urgentia,

Attamen non raro legitur ſine incommodo propinata & largior ſolito doſis. Ita *Zacutus Luſitanus l.* 1. *M. P. H. obſerv.* 45. *p.* 103. dedit incorrectum opium ad gr. xij. in vehementi dolore circa umbilicum, item *Dioſcorides*, unde nonnulli crudum imbecillioris operationis eſſe, quam præparatum, volunt.

vel conſuetudo & temperamentum aliud importet,

Dn. Charas in hiſtor. nat. ingredient. theriac. ſemetipſum aſſerit vel ſex ſumpſiſſe opii grana, neque tamen majorem inde ſomni vim ſenſiſſe, quam conſueviſſet; Imo tantum abeſſe docet, ut inde debilitatus fuerit, ut potius mirum in modum ſe corroboratum ſenſerit. Addit inſuper, ſe noviſſe delicatioris etiam naturæ hominem, qui vel triginta ſex, id eſt ʒß. gr. vj. de eo ſumpſerit, nihil tamen inde mali ipſi accidiſſe, ſed ægrotum contra adhibito illo medicamento tam bene ſe habuiſſe, ut in una ſeptimana eandem ſumere doſin bis vel ter continuaverit.

præcipue ſi a minori doſi fiat initium. Exempla talia.

D. D. Welſchius, P. P. Lipſienſis celeberrimus, retulit *D. D. Geygero* noſtro, quod ante paucos annos noverit ægrotum, ſummis doloribus in articulis e lue Gallica laborantem, cui Noribergæ præſcriptæ fuere pilulæ ex mero lau-

dano

dano opiato, quibus uſus incipiendo a gr. v. usque ad ℥ß cum euphoria, licet palliativa; dolores enim redierunt, & quod mirum, non raro una die duabus vicibus iis fuit uſus, & quidem in tanta doſi.

Teſtantur autores, quosdam cotidie ſupra ℥x. comediſſe opium, & doctiſſime nihilominus de rebus omnibus diſputaſſe. Tantum poteſt conſuetudo.

Ab Rondeletio accepit *Hollerius*, militem in ſummo æſtu opii ℥ß. ſine noxa devoraſſe, *de morb. intern. p.* 54. vid. & *Mœb. Fundam. med. Phyſiol. p.* 160. & inprimis *Ephemer. Collegii noſtri Ann. II. obſ.* 69. *p.* 127. *ſeqq.* ubi *B. Dn. D. Sachſius*, collega etiam poſt fata honoratiſſimus, elegantiſſime in rationem inquirit, cur apud orientales largiori ſumatur doſi, quibus id ſolum addimus, quod cum orientales populi reſpectu ſeptentrionalium ſint bilioſiores, hi vero illorum intuitu ſeroſiores, ſulphur opii apud illos non tam bene reſolvitur, quam apud hosce, id quod ex ſupra dictis elici pluribus poteſt. *cur orientales majorem ferant doſin?*

Quis ergo noſtrum auderet eo aſcendere, quo orientales populi? Mirum eſt, quod refert *Monconnys Itiner. Angl. Tom. II. p.* 61. Legatum Galliæ Regis ad Angliæ Regem cum ægrotaret, ut dormire poſſet, *integras opii uncias* aſſumere opus habuiſſe.

Cum vero proportio debeat fieri inter agens & patiens, nec indicationibus contrarium ſolum, ſed & gradus attendi mereantur, hinc ſi adſit urgens indicatio, nec doſis minor juvet, aſcendi poteſt ad ℈ß. Memorandum hoc loco eſt, quod *B. D D. Joh. Theodorus Schenckius*, præceptor & promotor noſter, ſæpius pro cathedra nobis retulit, ſe ſancte teſtari & religioſe, quod ipſe ſæpius ad ℈j. aſſumpſerit opiatum laudanum ad inhibendum ſanguinis motum, laborabat autem hæmoptyſi & defluxionibus aliis acribus frequen- *Proportio inter agens & patiens etiam in opiatis attendenda.*

quentius) ſine ullo notabili mentis ſtupore. Idem nos adhibuimus ſæpius in diarrhœis contumacioribus, dyſenteriis & urgentisſimo dolore, aliisque caſibus ad ℈ß. Si enim doſis minor non ferat levamen, repetita licet, quid obſtat, quo minus, urgentibus morbi ſtimulis, aſcendi ulterius posſit? omnia tamen fieri debent *μετ' ἀσφαλείας*, & prodigos nos eo caſu non eſſe oportet, ſufficit, eſſe liberales.

LIBRI II. SECT. I.

CAPUT I.

Uſus opiatorum generalis, in ſiſtendis doloribus.

A*Pio eſt opus*, veterum erat parœmia, quoties morbum capitalem innuebant, & vitæ periculum imminere. Nos rectius id de opio affirmamus. *OPIO EST OPUS* in quamplurimis morbis & ſymptomatibus.

Uſus opiatorum generalis Galenicus.

Generalem opiatorum uſum declarat *Galenus l. 12. meth. med. c. 8.* Ait enim illa eſſe *χρήσιμα*, 1. *ὡς αἰσθήσεως ναρκωτικὰ*, *utilia, ut ſenſui ſtuporem inducentia.* 2. *ὡς συνιστάντα καὶ παχύνοντα τὴν τῶν ὑγρῶν λεπτότητα*, *ut humorum tenuitatem cogentia & INCRASSANTIA.* 3. *τὴν θερμότητα ἐμψύχοντα*, *Calorem REFRIGERANTIA.* De ultimo uſu non recepto jam ſupra egimus. Narcotica vis eminet in doloribus & vigiliis corrigendis. Motus humorum inhibitio locum habet tum alias, tum potisſimum in excretorum vitiis. Ut peramica naturæ eſt crasſioribus humoribus & ſpiritibus coagulatis diſſolutio: Sic non minus grata eſt diſſolutis reſolutisve coagulatio.

Pro

Pro dolore tria medicamentorum genera proponit *Galenus l.1. de ſimpl. med. facult. c.* 19. aliisque locis. Primi ordinis communiter audiunt *paregorica*, qualia ſunt blande calorem nativum demulcentia, emollientia, digerentia, & roborantia; ſecundi *anodyna*, *Scaligeri* judicio languida ac laxa voce, *exerc.* 348. Tertium *narcotica* conſtituunt, prout ſc. vel *cauſam*, vel *dolorem* ipſum, vel *partem* dolentem reſpicimus. Dolori oppoſita paregorica, anodyna, narcotica.

Inter proprie talia *SISTENTIA DOLORVM* primas tenet *OPIVM*, quod facultatem habet diſtrahendi & ſtupefaciendi, intuitu triſtis ſenſationis quoad perceptionem. Primas tenet opium,

Locum potiſſimum invenit, cum citra materiæ affluxum dolor partem occupat, vel ubi ſævitia ſua medicum, licet invitum, & aliis indicationibus ſatisfacturum, ad ſe trahit.

Delenit & ſopit dolores opium 1. *ſomnum procurando.* Hic domitor malorum, requies animæ, omniumque dolorum mirum ſopimentum. Hinc dolor inprimis urget, illiusque faces magis acceduntur, quando ægri dormire nequeunt. Hujus blanda effumatione demulcetur cerebrum, ut clamoſi dolores conquieſcant, quæ verba ſunt *Swalbii querel. ventric. p.* 251. quod ſomnum procurans,

2. *ſpiritus figendo & demulcendo.* Si quæ pars dolet, ſanguis & ſpiritus impetuoſe adfluunt, partem diſtendunt, diſtendendo continuum ſolvunt, ſicque dolorem majorem reddunt, quod *Helmontius* eleganter exemplo ſpinæ digito infixæ explicat, ubi Archæus ſtatim advocat in ſubſidium copias: opium vero materiam dolorificam ſeparat, ſpiritus obtundit, condenſat, coagulat, unde effrenis motus inhibetur. ~us figens,

3. *humorum ichorumque acrimoniam temperando*, quorum & acredinem temperans dolores ſiſtit,

L

rum impetum retardat, mordacitatem contemperat, feritatem mitigat, eosdemque quaſi concentrat, διαχώρησιν prohibet & ad ſtatum naturalem reducit, hinc ſenſum triſtem in his illisve partibus inde exortum obtundit, & moleſtas tum contracturas & vellicationes, & fibrarum inæquales mordicationes, tenſionesque, tum alia principalia vitia ſedat. Hoc *Helmontius* conſueta loquendi formula vocat Archæum furentem compeſcere, unde novo vigore armata natura fortius contra hoſtem inſurgit, eumque feliciter depellit & ſubigit.

A dolore ſæpe virtus adeo debilitatur, ut ſæpe hinc vitæ periculum ægroto immineat. Nihil tam contra naturam eſt, dictante *Tullio*, quam dolor.

cauſamque in centro detinet, In centro detinet cauſam morbificam opium. Dolorum lethæam infert oblivionem, ἕυρημα πρὸς πάσας ὀδύνας merito dictum.

Ubi *dolentem nec Phrygius lapis,*
nec purpurarum ſidere clarior
delenit uſus, nec Falerna
vitis, Achæmeniumque coſtum;

opiata exprompta ſuccurrunt opera.

Ridet vitalis perfuſa papavere virtus.

Nec mirum eſt, ſubjugari ab opio dolores, ὑγιαίνονται αἱ ὀδύναι τοῖσιν ὑπεναντίοισιν, *ſanantur dolores contrariis, Hippocr. l. de loc. in hom. c.* 51. *p.* 394. Cum ergo dolores ab opio ſiſti ſit vel ipſis ſenſibus & experientia notiſſimum, contrarium id eſſe dolori, facile licet concludere. Eſt vero eidem contrarium opium, cum & ſulphure

🜍 eſt anodynum, abundet, & ⊖le volatili non careat. Quæ enim 🜍e pollent, dolores lenire deprehenduntur; ſic pyrethrum, lignum ſanctum, buxi, caryophylli & horum olea, in dolore dentium, optime ſe gerunt. Sic dolores Gallici decocto lignorum quieſcunt; ſic oleum caryophyllorum in

in cardialgia eſt nobiliſſimum, ut alia plura, circa linimenta, unguenta &c. huc non trahamus. Ut acida corrigunt & obtundunt narcotica, ita narcotica & anodyna, acido & acri ſunt contraria, illudque temperant,

Quæ ⊖le volatili pollent, dolores itidem leniunt, quod vel ſolo exemplo ſpirituum volatilium, cornu cervi, ✱ci, lumbricorum, formicarum & plantarum patet. Vidimus a ſpiritu lumbricorum urinoſo volatili ſæpe in momento dolores arthritidis vagæ conticuiſſe, ubi alia prius debito modo ſecundum veram medendi methodum fuere applicata. ⊖lia volatilia nervis amica.

Hinc igitur ipſe hic

ſæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem,

congregat ſpiritus & in morbos quosvis naturam armat.

Audiunt hoc nomine quibusdam male opiata, quod torporem potius & hebetudinem ſenſibus inducant, quo minus illi ſentire poſſint, quam quod dolorem leniant, vid. *V. Trincavella l.* 12. *de rat. curand. affect. partic. c.* 4. *p.* 459. *&* *l.* 9. *c.* 7. *p.* 315. hinc illam rationem ad veram & propriam curationem non pertinere, quia non dolorem, non cauſam doloris, non læſionem tollunt; ſed ſenſum, ne læſio percipiatur, auferunt, unde non utendum ſit hac curandi ratione, niſi maxima cogamur neceſſitate, neque ſperemus alia via prius ſedari poſſe dolores, quam vires concidant. Modum hunc curandi membra relinquere plurimum labefactata, quantum fere ad omnes operationes attinet. An opium ſolum partibus ſenſum tollat, cauſam vero non attingat.

Sed ut obiter hiſce reſpondeamus, reliqua in caput *de invectivis* differentes, proſcribenda eſt hypotheſis illa, qua aſſertum per aliquot ſecula fuit, opium eſſe narcoticum eo ſenſu, ut partibus externe appli- ℞

catum illas quaſi indolentes reddat, quatenus calorem nativum reprimat, extimamque corporis veſtem attonitam & imperceptibilem efficiat, non ſecus ac frigida actu talia torporem & ſtuporem ejusmodi conciliant. Et hæc quidem de uſu externo, ad dolores. Interne vero cauſis dolorificis reſiſtere opium, per antecedentia jam aſſerta negari nequit.

Obſervatio.

Occurrit vero hoc ſæpius in praxi, ut urgentibus doloribus, (quod inprimis in dyſentericis arthriticisque vel centies obſervavi) datum opium afferat dolorum lenimen, & ſeceſſuum levamen, ſed quando jam quaſi evanida redditur & deſinit medicamenti operatio, denuo deſæviant ſingula, quia quamdiu particulæ ejusdem roſcidæ balſamicæ, ♀eæ, temperant acres, ſalinas, acidas, vel lixivioſas humorum, hinc præpollentibus rurſum hiſce & ſui juris factis fieri aliter vix poteſt, quin denuo occipiant novas creare moleſtias, donec denuo tum his, tum aliis obtuſæ, abſorptæ, inverſæ genium ſuum mutent.

Capvt II.

Uſus opii contra vigilias.

Opium vigilias delenit

ALter generalis opii uſus conſiſtit in *VIGILIARVM* delenitione.

Sunt quoque quæ faciunt altos medicamina ſomnos,
victaque lethæa lumina nocte premant.

immoderatas.

Cum exceſſus immoderatus omnium actionum animalium urget: cum hæ diutius, ac par eſt, exercentur, vel invito ægro, indicatio adeſt, ſomnum provocandi. Hoc apprime expetit opium.

Quando vel vigiliæ ſuperfluæ dolorem excitant, nimis exſiccando: vel dolor vehemens vigilias parit, ſen-

ſum

ſum triſtem efficiendo, una fidelia & dolorem & vigilias aufert opium, ut uno ablato cedat & alterum.

Vigiliæ immoderatæ vires corporis labefactant, ac perdunt, cruditates pariunt, cerebri & ſenſuum functiones debilitant, naturales autem imbecilles reddunt, univerſum denique corpus reſolvunt & ſiccant. Vid. *Fuchſ. inſtit. med. l.* 2. *ſect.* 4. *c.* 7. Ita celebrantur tricennales Mæcenatis vigiliæ, & *Livius* teſtatur, Hannibalem, itemque Philippum perpetuis vigiliis μονοφθαλμȣ̀ς & coclites, ut *Plinius* loquitur, redditos fuiſſe. Quin & immoderatæ vigiliæ, ex ſiccitate inprimis provenientes deſipientiam vel convulſionem lethalem minantur 7. *aph.* 18. Teſtatur enim experientia, ſæpiſſime inde deliria concitari. Prohibet hæc omnia opium.

quæ multa in corpore mala cient.

Hinc noctem papavere coronatam legimus apud *Naſonem l.* 4. *faſtor.*

Nox papavere coronata.

Interea placida redimita papavere frontem
nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.

Idem *l.* 11. *metamorph.* ſomni palatium deſcribens addit,

ante fores antri fœcunda papavera florent,
innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

Et ὕπνȣ θυμίαμα, μετὰ μήκωνος, *ſomni ſuffimentum, cum papavere, Orpheus in hymnis p. m.* 520. proponit, ubi inter alia ſomnum alloquitur.

Λυσιμέριμνε, κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν.
Καὶ πάσις λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων.
Curas ſolvens, laborum ſuavem habens requiem,
& omnis doloris ſacrum ſolatium ferens.

Non ceſſandum ergo in curatione, ubi urgent vigiliæ, ne ceu ex equo Trojano varia exſurgant ſymptomata.

Ut vigiliæ ſopiantur,

Probe vero hic obſervandum, quando & quibus in vigiliis opiata conveniant, deinde & aliæ circumſtantiæ bene ſunt attendendæ. Sæpe enim tantum abeſt, ut opium moveat ſomnum, ut potius ſumpto eo, ægri minus ſolito dormiant, neque vero idcirco opium deſinit eſſe ſomniferum.

requiſita tria,

Tria requiruntur, ut quis placido ſomno obdormiat, 1. cerebrum temperatum, 2. vapores benigni, & 3. animus quietus, vid. *Heurn. comm. in l.* 2. *aph.* 1. *p.* 29. *& l. de morb. cap. c.* 16. *p.* 132.

Sæpe ab opio ſomnus non ſuccedit,

Horum alterutrum ſi peccet, inprimis, ſi v. g. cerebrum ſit vel ob ætatem ſenilem, vel aliis de cauſis ſiccius, & animus curis plurimis & profundis cogitationibus diſtrahatur, accedente ob ſtomachum debiliorem, aliaque vitia vaporum & ἀναθυμιάσεων defectu, opium licet detur, tamen ex ſententia ſomnus non ſuccedit.

inprimis ſcorbuticis.

Ita quosdam novit *D. Willis*, ſcorbutica labe tactos, qui licet dolorum aut ſpaſmorum immunes fuerint, etiam animi affectu quovis immodico liberi, per plures tamen ſeptimanas dies & noctes prorſus vigiles duxerunt, ac ſæpe opiatis, licet validioribus adſumptis, ne tantillum ſomni capeſſere potuerunt, *de ſcorbut. c.* 5. *p.* 270.

Purgationis conditiones huc applicatæ.

Ut tria ſunt purgationis requiſita. 1. diſpoſitio humorum. 2. diſpoſitio viarum. 3. facultas expultrix, hactenus uſitate ita dicta, ſeu natura, unde ſi purgantia ad votum non operentur, ſemper impedimentum in hiſce tribus quærendum eſt: ita & ſuo modo ſe res habet in opiatis. Hinc & corrigere, quæ ſe offerunt vitia, debet medicus, & ægrum hortari, ut ſi ſomnum videre velit, ne ipſe ſibi vigilias, curis, mœrore, aliisque animi affectibus procuret, & promoveat, adeoque obicem medicamenti ponat activitati.

Locum

Locum vero hic habent omnia ſuperius recenſita opiata, quæ recenſere & repetere ſuperſedemus.

Vigiliæ ſenibus moleſtæ.

In vigiliis ſenum miſcuimus ſæpe ∽⊖li volatilem cum R̄a anodyna, feliciſſimo cum ſucceſſu. Vir cachecti-cus, aſthmaticus, cum aliquot noctes inſomnes moleſtiſſime duxiſſet, ab eodem medicamento ſuaviſſimam ſentiebat quietem.

℞ ∽ ⊕*l. volat. Parat.* ʒj. R̄*æ. anod.* ℈ß, vel ℈j. Doſ. gtt. xx. xxv. xxx.

Opii agendi varietas.

Memoranda hoc loco etiam eſt opii agendi varietas, interdum enim dolorem magis ſedat, quam ſomnum facit, ut extemplo ceu ad imperium quoddam & monſtrato Gorgonis capite conquieſcant dolores, tormina, cruciatusque, ut adeo non ſomno ſolo interprete illorum oblivio capiat ægros, ſed & absque eo, propria opii acrimoniam temperandi & ſpiritus demulcendi, ac humorum ſalinorum impetum coercendi, virtute; interdum una cum dolore & quidem utplurimum vigilias aufert, & ſomno inducto triſti ſenſationi intentum animum abducit & ſibi reſtituit.

Somniferum ergo tam in opio, quam alibi poteſtas eſt, donumque creatoris ſpecificum, *Helmont. de lithiaſ.* §. 87. *p.* 63. & ad omnia longe efficaciſſimum, *Fernel. l.* 6. *c.* 1. *meth. medend. p.* 377. quod ſpiritibus quietem conciliat, ut miſſis exterioribus, circa quæ abſtracti per vigilias occupabantur, ſecum habitent, & toti incumbant in id, quod ad ſalutem œconomiæ propriæ pertinet, ſive in digerendo, excernendove, ſive aliis modis, quibus morbo obviam iri poteſt.

Diſtinctio inter ſomnifera & ſoporifera.

Quidam diſtinguunt inter *SOMNIFERA & SOPORIFERA*, quæ differant, ut ſomnus & ſopor, ſeu ut magis & minus. *Illa* ſunt refrigerantia leniter & humectantia, ut lactuca, nymphæa, emulſiones ex ſem. 4. frigidis

major.

major. papav. &c. externe oxyrrhodyna, & quæ his ſunt confinia; *hæc* ſtupefacientia, ut opium, neque ante ad hæc veniendum jubent, in vigiliarum exceſſu, quam illa non ſint ſatis, & res urgeat. vid. *Valleſ. l. 2. meth. medend. c. 8. pag.* 88.

Poteſt & cum illis dari opium, & per ſe, pro medici intentione & variatione circumſtantiarum.

Opii & ſomniferorum abuſus,

Cedit opium intentione ſomnifica, interdum in abuſum, uti exempla proſtant, ſemine ſtrammonii, opio, aliisque ſimilibus a furibus ſopitos hoſpites, ut prædæ ipſis loco inſervirent.

& eo facta ſtrategemata,

Captivus quidam ob enormia delicta medicus petiit per literas ab amico, ut butyrum ad ſe mitteret, dimidia parte opio medicatum, altera impermixtum. Illevit pani, & ipſe comedit ſincerum, reliquum large pani illitum propinavit cuſtodibus, qui profundiſſimo ſomno ſopiti anſam dedere evadendi.

CAPUT III.
Uſus opii in ſiſtendis fluxionibus.

Opium fluxiones ſiſtit & moderatur,

TErtius generalis opii uſus eſt in *SYMPTOMATIBUS EXCRETORUM.* Si ea, quæ retineri debebant, vel ſi contra, non ἀθρόως καὶ βιαίως *ſubito & confertim*, ratione magnitudinis, violentiæ, copiæ, temporis, excernenda, opium fermentum placabile inducit, verbis utimur *Helmontii*, ut ſola reſtauratione & alteritatis Archæi reſtitutione, morbus conculcetur. Hic locum habet & illud *Helmontianum*: Pro remedio reſtaurativo Archæi non requiritur unciarum & drachmarum quantitas, ſed pauca grana h. l. opii illud exequi norunt.

Opium enim quamvis humorum acrimoniam corrigit, *Sylvius l.* 1. *prax. c.* 20. *p.* 285. quamvis eorundem efferveſcentiam coercet præ omnibus aliis, *ib. l.* 1. *c.* 19. *p.* 271. affluxum remoratur, eccentricitatem & διάχυσιν & *diſgregationem* prohibet, impetum coercet, volatilitatem & citatum gradum figit, verbo, ad naturalem ſtatum quam optime perducit, & ad ſanguinis laudabilis productionem & motu inprimis peccantis correctionem, legitime uſurpatum valet. Elegans eſt ſententia *Martiani comm. de loc. in hom. pag.* 76. & fontibus genuinis Hippocraticis conveniens, opium diſgregationem humorum ſiſtere & prohibere. Cum, *ait*, ad omnes deſtillationes concurrat humorum diſgregatio, ſeu hæc concurrat ſub ratione cauſæ externæ, ſeu internæ & proximioris, patet ratio, propter quam opium concoquere dicatur Dioſcoridi, & quare medicamenta ſtupefacientia appellata deſtillationes miraculo quodam ſiſtant, & ex toto interdum etiam curent; cum enim per hæc humorum & ſpirituum motus ſiſtatur, non modo fluxiones compeſcunt, quæ in motu humorum conſiſtunt; ſed etiam prohibent diſgregationem, quæ eſt fluxionis cauſa. Hinc opium *τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνει, morborum vehementes impetus obtundit. Hippocr. l. de arte c.* 4. *§.* 5.

acrimoniam, corrigit, & impetum refrænat, & diſgregationem,

Pertinent huc *omnes fluxiones* tum ſanguinis, in hæmorrhagiis, & ſeri, in defluxionibus catarrhalibus, aliisque excretionibus, tum excrementorum aliorum, vel ſponte ſua & a natura inſtitutorum, vel ab arte, de quibus paulo poſt plura.

tum ſanguinis, tum excrementorum.

CAPVT IV.

Opium ſudores movet.

AD generalem opii uſum referri quoque poſſe videtur *VIS SVDORIFERA.*

Vis opii ſudorifera

M Vim

à veteribus

Vim hanc ἱδρωτικὴν dudum annotavit *Nicander alexiph. t.* 15. ita enim canit:

ἀμφὶ δ᾽ ὀδμῆες καμάτῳ περιλείβεται ἱδρὼς
ἄθροος — — — —
eque labore illo odoratus ſudor deſtillat, una collectus.

&c recentioribus afferta. Theriaca ſudores movet ob opium.

Confirmavit idem *Geſnerus* tum alibi, tum inprimis *l. 2. epiſt. p. 61. & 69. Platerus in praxi & obſervationibus. vid. l. 2. obſ. p.* 491. & *l. 3. obſ. p.* 633. & *p.* 727. ubi docet, & theriacam & mithridatium opio dempto, ſudores minime movere. Idem hoc expertus adſerit *Walæus meth. med. p.* 65. uci medicamenta, *inquit*, pauca vera ſunt, & inter hæc excellit opium. Quod enim theriaca, quod mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ac admixto faciunt opio. Et hujus ratione potius fieri, ſi quid ſingulariter præſtet in peſte theriaca, exiſtimat *Zwelferus in animadverſ. ad pharmac. Auguſtan. p.* 409. quam ratione inſignis virtutis alexipharmacæ. Hoc enim velut animoſitatem quandam, ceu tempore infectionis ſumme neceſſariam, addit, ſicque nonnullos immunes reddit.

Proprium eſſe laudano ſudorem copioſum movere, annotavit quoque D. Petrus Cruſius apud *Horſtium l.* 10. *obſerv.* 3. *p.* 480. Videatur hanc in rem *Hochſtätterus Decad.* 3. *obſ.* 1. *p.* 190. *ſeq.*

Idem nos ſæpiſſime obſervavimus. Tincturæ communiter bezoardicæ dictæ longe efficacius ſudorem pellunt, ſi cum opio maritatæ ſint, quam ſine eo.

Sudores ciet opium,

Qua ratione opium ſudorem moveat, & ſummum ſudoriferum ſit, indagatione dignum. Quæ ſudorem movent, non habent vim incraſſandi. Contrarium adeſt in opio, ideoque videntur hæc ſecum pugnare. Opium διαχώρησιν humorum ſiſtit & impedit, quomodo ergo ſudorem ciet?

Cauſa

Cauſa eſt opii compoſitio. ⊖ ejus volatile, cum 🜍re intime combinatum, primario ſudores afficit, quod alias in 🜊u C. C. viperar. ⊖lis ✱ci videre eſt. Sulphur ejus reſolubile humores figit, quod tenuius ſupereſt, à ſale volatili propulſum per cutim expirat, ut etiam hac ratione fixationem humorum meditetur opium. Adde, quod natura refocillata, (confortativa enim ipſius naturæ eſt Laudani ſotirella) excretionem per ſudores molitur, & quod ſomnus ipſe omnes fluxiones ſiſtit, excepto ſudore. Neque tamen ſolus ſomnus ad productionem ſudoris ſufficit, cum & vigilantes ex opio ſudent, & in ſomno non ſemper fiat ſudor, niſi corporis repletione præſente, 4. *aph.* 41.

quia pollet ⊖ volatili, quia roborat naturam, etiam in vigilantibus,

Confirmat propulſionem a centro ad circumferentiam, quod, obſervante *Swingero*, in pueris ab ejus exhibitione exſerat ſe efflorescentia faciei, ſeu, quod facies rubore ſuffundatur, apud *Cratonem epiſt.* 251. *p.* 470. ubi & de vi ſudorifera ſtatuit, per accidens ſudorem ſubſequi, congelatis ſpiritibus malignis, ſed roboratis nativis.

interdum cum faciei rubore.

Quin ita *interdum* perſpirabile redditur corpus ab opio, ut ſudor inde prolectus nonnunquam odorem ejusdem referat, quod teſtatur *Dioſcorides l.* 6. *c.* 17. ὀσμή τε, inquiens, τȣ̃ φαρμάκȣ δι᾽ ὅλȣ τȣ̃ σώματος ἐκδίδοται, *odor opii toto corpore expanditur*, quod iisdem verbis repetit *P. Ægineta l.* 5. *cap.* 43.

Sudor opium redolens.

CAPVT V.

Vis opii καθαρτική.

IN opio teter & viroſus odor cum amaritudine & acrimonia purgatricis potentiæ ſignum exiſtunt, teſte *Eraſto Tr. de occult. pharmac. poteſt. p.* 181.

In opio latet vis purgans,

Confirmat id *Quercetanus l.* 1. *de medicinæ priſcorum philoſophorum mat. cap. ult. p.* 79. ex ⊖le opii, *ſcribens*, a ſuo

a ſuo oleo ſeu 🜍e narcotico fieri purgans, haud minus ſane, quam ex omnibus amaris, ut gentiana, centaurio & ſimilibus, ſeparato nimirum, dextreque præparato eorum ſale.

licet non ordinarie eam exerat.

Quod vero non purget ordinarie, ſubinnuit eo ipſo idem, quod partes 🜍eæ impediunt ſalinas, quas præponderant. *Eraſtus l. c.* duas affert cauſas 1. vim ſtupefaciendi, quæ, ut ne ſentiatur mordicatio, efficit, 2. modicam ejus, quæ exhibetur, quantitatem. Accedere, *ait* 3. quod plerumque iis multis vim ejus hebetantibus miſcetur.

Purgantem vim in ſylveſtri papavere annotavit *Plinius libro* 20. *Hiſt. nat. cap.* 19.

Alvum turbat quandoque, & vomitum ciet, pilulari præſertim forma,

Alvum turbare, & vomitum ſæpe mane altero ab exhibitione laudani ſequi, teſtatur experientia, & teſtantur *Helmont. in jure duumvir. t.* 62. *p.* 192. *D. D. Rolfinc. chim. in A. F. R. l.* 4. *ſ.* 3. *c.* 6. *p.* 248. aliique.

Obſervavimus ſæpius a dato laudano opiato ſecutum vomitum, raro diarrhœam, & quidem, ſi pilulari fuerit exhibitum forma; a pulvere enim anodyno, reliquisque opiatorum formulis nil ejusmodi unquam obſervare licuit.

Mirum hoc vidimus in Gallo quodam, qui cum pilulas opiatas veſperi ſumſiſſet, laborabat autem hemicrania, vomitum ſequenti die expertus eſt, non mane, ſed poſt meridiem hora quarta, quod cum per accidens prima vice factum videri poterat, altera & tertia vice idem adſumenti contingebat.

tum ob propriam naturam,

Cauſam alii rejiciunt in opii malignitatem, quod natura id abhorreſcens ceu venenum, robore ſi polleat, exturbet. Relictum 🜍 fœtidum ventriculum relaxare & ad vomitum ſtimulare, ſigno perpeſſi per noctem ipſius laboris, ſcribit *Swalve querel. ventric. p.* 252.

rum præparationis culpa.

Notandum eſt, in culpa quandoque eſſe ipſam præparationem. A laudano opiato cum ▽ correcto ſolum fere obſer-

obſervavimus ortos vomitus, a noſtro vero, quod cum phlegmate 🜊ti fieri diximus, nunquam vomitum, vel nauſeam ſaltem, contigiſſe meminimus.

Deinde non parum confert cacochymicorum hu- tum ventriculi. morum in ventriculo præſentia, qui ἀναῤῥοπία ſua ἄνω vel κάτω viam affectant. Potiſſimum enim hæc vis emetica ab opio accidit in naturis bilioſis, & quorum ventriculus ſcatet amaris, acribus, vitioſis humoribus, præſertim, ſi rarior textura corporis accedat. In phthiſicis inprimis opiata ſæpe purgantis vicem obeunt.

Denique in principiis chimicis ſeu mixtione ipſa Vis hæc alius deducitur. cauſa quærenda eſt. Certum enim eſt per experientiam, quod illa, quæ ☿e copioſo pollent, cum ⊖le fixo acri, purgare, modo ἄνω ſeu per *vomitum*, prout ☿ longe ſuperat ſal; modo κάτω per *alvum*, ſi ⊖ ſuo modo excedat, modo per ſuperiora & inferiora, modo vehementius, modo lenius, prout miſtio horum variat. Ita, ut affinia ſolum opii conſulamus, tabacum, non ſolum ratione infuſi purgans eſt, ſatis vehemens, quod, experientia teſte, vel illinitione ſolum corpori applicatum in ſcabioſis, ex obſervatione noſtra, vomitus ſat enormes concitare ſolet; ſed etiam ipſius fumus per os hauſtus eundem edit effectum, & experimento Anglorum clyſteris inſtar per inferiorem gutturem inſpiratus purgat. Vid. celeberrimus *Bartholinus, cent.* 6. *hiſt.* 66. *pag.* 311. 312. *Simon Paulli quadripart. botan. p.* 461. Sic mandragoræ ſuccus duorum duntaxat obolorum pondere hauſtus atram bilem ac pituitam inſtar veratri purgat, menſes quoque partusque excludit, teſte *Thom. Eraſt. Diſp. de narcot.* Quin ſi paulo curatius in vires purgan- a purgantium & emeticorum compoſitione, tium & emeticorum inquirendi hic locus eſſet, idem pluribus demonſtrare poſſemus. Ita antimonium totum fere in ☿ converti poteſt, & niſi extravertatur hoc ipſum, ut

cum ⊖le ſortiatur prædominium, vomitum non movet, uti conſtat, ♉ in ſubſtantia contra epilepſiam dari, vel per ſe, vel cum caſtoreo, aſa fœtida & gummi ✱co mixtum, unde conſurgit pulvis niger dictus, in epilepſia hyſterica magni uſus. Par ratio eſt 🜖li, aſari &c. unde concludere licet, cum abundant humores acres ſalini in corpore, adſumpto opio, facile poſſe acceſſu 🜍is opiati, & ⊖lis acris talem miſtionem oriri, ut vomitus vel alvi turbatio ſequatur.

& acrimonia ⊖lina, 🜍ri remixta.

Adſcribit hanc virtutem emeticam *Capucius* ſali 🜖lato, quod penitiori Vulcanico igne pateſcat, & enormes vomitus concitare aptum ſit, apud *Servin. viper. Pyth. in auctar. p.* 516. Id vero in opio vix reperibile eſt, ſufficit tamen denuo, vomitoria pleraque ob acrimoniam ſalinam volatilem ſtimulantem, vel explicitam vel implicitam, præcipue acceſſu 🜍is, ventriculum ſubvertere, ceu aſarum, ſedum minimum, raphanus ruſticanus, aliaque, ne tranſeamus ad alia regna amplius, ſunt emetica.

LIBRI II. SECTIO II.

CAPVT I.

Vſus opii ſpecialis ἀντιπυρετικός.

In febrium paroxyſmis uſurpata opiata;

AN in FEBRIBVS intermittentibus conveniant opiata, lis eſt inter autores.

Si veteres conſulimus, opiatis & ſoporem inducentibus ad febrium paroxyſmos tollendos eos uſus eſſe, certum eſt.

Sic *Hippocrates l.* 2. *de morb. c.* 39. ad quartanam ſemen hyoſcyami & mandragoram commendat.

Galenus eodem nomine paſſim dilaudat theriacam, inprimis *l. de theriac. ad Piſonem c.* 15. ubi propria id ipſum confirmat experientia.

Non

Non minus *Trallianus l.* 12. *c.* 8. varia ad quartanas præſcribit antidota, quarum plurima gaudent opio & alterco, cum aliis calidis & attenuantibus.

Cur opiata febrilibus miſta ſint, ſi quæratur, reſpondent *alii*, qui veterum ſententiæ addicti ſunt, ut refrigerando aliorum caliditatem obtundant; *alii*, ut virtutes ſimplicium in unum coactæ magis & diutius conſerventur. Eleganter *Proſper Martianus in l.* 2. *de morb. ſ.* 2. *p.* 174. ſtatuit, ea peculiari virtute febri conducere, non ſolum, quia refrigerant, quod tamen admittendum non eſt, ſed & quia humorum motum compeſcunt, unde disgregatio eorum prohibetur, quam cauſam morborum *Hippocrates l. de nat. hum.* expoſuit. cur mixta febrifugis eadem.

Si convenirent autores in cauſa febrium aſſignanda, quo de *libro* 1. *praxeos clinicæ*, ſeu *de febribus*, propediem edendo plura dicemus, utique etiam magis conſtaret, utrum opiata ſint concedenda.

Conveniunt hæc in illa curandi febres methodo, quæ extraordinaria quibusdam audit, (cum ordinaria per ablationem cauſæ ſtatuatur) & morbificæ cauſæ fixationem infert, impediendo ſcilicet, ne materia ex fomite ad cor deferatur, ſicque in centro ſuo detineatur. Quin cauſam ipſam earundem ſuo modo reſpiciunt, quatenus humores peccantes corrigunt, ſudoremque movent. Conveniunt magis

Notandum tamen, quod hæc primaria intentione non promiſcue uſurpanda ſint, niſi quid potenter urgeat, & præmiſſis univerſalibus materia ſit præparata & depleta. Tunc enim ſi reliquiæ quædam remaneant, rebelles tamen, & ſæviores inſultus, optime proſunt opiata. intentione ſecundaria.

Adde, ſi minus cacochymici ſint ægri, & cum nimia ſangui nis ebullitione, maxime vero cum virium reſolutione, dolore & vomitu conjungitur febris, tunc ſæpe nul- & minus cacochymicis,

lo

lo alio proficiente heroicum hoc medicamentum hoſtem ſuperat indomitum.

Metuunt quidam, paroxyſmorum initio exhibita opiata, cum materia ad cor jam ruit, facile illud prorſus ſuffocari poſſe, ſi per narcotica motus ille inhiberetur. Sed metus eſt inanis, obſervatis modo dictis circumſtantiis.

præſertim in quartana, Eleganter hanc in rem *Horſtius problemat. therapeut. decad.* 1. *quæſt.* 7. plurimas, *ait*, febres intermittentes, præſertim quartanas, poſt præparationes & purgationes debitas cum ☿ ⊕*to*, *extr. helleb. nigr.* ♁ *diaph. &c.* auxilio laudani opiati ſublatas fuiſſe, duabus vel tribus horis ante paroxyſmum exhibiti.

tum per ſe, Si experientiam noſtram conſuluerimus, non raro hoc modo curatæ febres. Novimus ſtudioſum ex recidiva tertianarium, & quidem ſimplici tertiana in duplicem commutata; qui nullo ſpecifico antifebrili curari poterat, donec tandem tres pilulas ex laudano opiato propinaret illuſtris etiam poſt fata *Rolfincius*, quibus ſumptis indormiit patiens; forte expergefactus levicule bis inhorruit, calor emanſit penitus, neque ulla amplius ſequentibus diebus ἐπισημασία febrilis ſeſe prodebat, quæ a prandio utplurimum ſe manifeſtabat antea.

tum mixta tum aliis. In uſu nobis eſt, pulveres antifebriles, ante paroxyſmum juſto tempore adhibendos, ex ☽ ⊕*to*, ♁ *diaph. conchis* vel *noſtratibus*, vel *marinis*, *matre perlarum*, *lap.* ♋ *præparatis*, *C. C. uſto*, ⊖ *abſ. min.* & ſimilibus miſcere cum anodynis intentione ſecundaria, addito olei antifebrilis noſtri, quod ex oleo caryophyllorum, piperis & camphoræ componitur, una vel altera guttula, qua ratione, interpoſitis pro ratione circumſtantiarum correctioribus emeticis, vel purgantibus, absque V. S. feliciſſime & breviſſimo tempore febres pleraſque curavimus, absque ullo recidivæ metu.

☍ antifebrile.

Hæc

Hæc enim ſi obſerventur, non metuendum eſt fulmen *Billichii obſerv.& paradox. l.2. c.2. p.*113. ubi flagris dignam cenſet Paracelſiſtarum audaciam, qui febre periodica detento, hora ante ſuſpectam acceſſionem, pilulam exhibent opiatam, ſic jugulaturi febrim, quando reſiſtunt paroxyſmo. Cum ſymptomatis fallace atque intempeſtivo fomento adulantur ægrotis, ſæviunt in naturam, hujus motum pervertunt, materiam peccantem viſceribus altius impingunt, infarciuntque tenacius; ad mala ipſa febre deteriora, cachexiam, arquatum, aquam inter cutem, abſceſſus, ſtabilem faciunt gradum. Vis horum ex dictis jam abunde patet. Confer. *Plater. l.* 3. *Prax. Tr.* 2. *cap.* 2. *p.* 148. Noxa eorundem intempeſtive hoc modo uſurpatorum.

De *FEBRIBVS* vero *CONTINVIS*, inprimis malignioribus, major eſt controverſia. In febribus continuis malignis.

Agnovere in opio vim alexipharmacam veteres, cum præter jam ſupra dicta contra morſus animalium venenatorum illud commendarint. Ita ex *Eraſiſtrato* morſis a baſiliſco præter caſtoreum etiam τὸν τῆς μήκωνος ὀπὸν commendat *Dioſcorides l. de venenat. animal. cap.*35. Confirmat idem *Avicenna*, qui, licet morſum illius immedicabilem afferat, conferre tamen maxime, ſi quid aliud, caſtoreum & ſuccum papaveris, eo enim loco ſemen pro ſucco papaveris perperam legi non abs re credit *J. Ant. Saracen. ſchol. in l. c. Dioſc. p.* 140.

Antidoti eorundem omnes fere gaudent opio. Opium movet ſudorem, ebullitionem & fermentationem p. n. ſiſtit, poros cordis & ♌uum contra malignitatis atomos & ἀπο῾ῤῥοὰς munit.

Sed ſi in ullo affectu, certe in hiſce caute cum opio mercandum. Latet anguis in herba, unde infauſtæ exhibitionis opiatorum in cauſa, & malignis exempla non raro ab imperitis harum rerum exhibitorum occurrunt, qualia in ſpecie adnotavit præter alios *Ballon. libr.* 1. *conſil.* 65. caute cum opio mercandum, nec dandum facile

Quando ægri de immodicis vigiliis conqueſti ſoporiferum a medico ſolicitant, non facile parendum eſt, ne malignitatis vis cor penitus petat, ſicque ſubito hominem jugulet.

nisi cum alexipharmacis, minori doſi,

Si tamen neceſſitas hujusmodi remedia ſuadeat, tutius alexipharmaca, bezoardica & cor munientia alia adjunguntur, ita ut minor ſemper ratio habeatur vigiliarum, quam malignitatis. Hinc in pauciori opiata danda ſunt quantitate, v. g. ſi laudanum opiatum cum diaſcordio Fracaſtor. ad gr. j. præbeatur, ut h. m. ſudor, crebra corporis jectigatione prohibitus, commode excitetur, naturaque vigiliis debilitata & morbo, robur acquirat valentius, ut taceamus delirium ita præcaveri.

& magis in declinatione,

Alii diſtinguunt inter tempora febrium. Ita principio & ſtatu non convenire *ajunt* opiata, quippe illic turbare magis humores, crudiores reddendo & retardando; hic impedire criſin, & πέψιν a natura inſtitutam interturbare, utrobique vero malignitatem magis cum corde communicari. In declinatione vero tantum abeſt, ut noceant, ut potius prudenter adhibita magnum afferant emolumentum, pacata reddendo omnia, vires roborando, & ſanguinis tonum reſtaurando. Opportune etiam dari poſſe in morborum incremento *l. c. Ballonius* obſervat.

Hanc in rem egregie prodeſt electuarium mitigativum in febribus ardentibus, a *Zwelffero* deſcriptum *pharm. reg. claſſ.* 14. *p.* 588.

juxta alios etiam in principio, re urgente.

Eleganter de hoc ipſo diſſerit *Riverius l.* 17. *Prax. med. cap.* 1. *p.* 544. ubi in febribus malignis, ſi magna ſit vehementia ſymptomatum, non ſolum recentem theriacam commendat, adeoque opium in ea adhuc vigens, ſed etiam, præcipue morbi principio vel augmento, laudanum opiatum ad gr. ij. cum alexipharmacis permixtum, cujus

cujus rationes ponderoſæ ibidem videri queunt. Conf. *D. D. Joh. Dan. Horſtium judic. de chir. infuſ. p.* 47. ubi inter alia, crede mihi, *inquit*, in febribus malignis petechialibus, variolis &c. opiata utramque paginam abſolvunt. Exempla etiam alia fauſte adhibitorum opiatorum videri poſſunt ap. *D. D. Herm. Grubium l. de medic. ſimpl. cognoſc. p.* 148.

Nos quotidiano uſu obſervavimus, longe felicius operari v.g. ℞am bezoardicam cum ℞a noſtra anodyna combinatam, quam ſolitariam, refracta tamen ſemper opiatorum doſi, ne nimis figendo ſanguinem ad receptionem veneni cor magis diſponant, quatenus ligant fere tunc ipſius actionem, & contra id inſurgendi promptitudinem. Hac vero ratione ſalubrem opiatorum opem plus vice ſimplici experti ſumus, & hoc ipſo præcavimus alia timenda ſymptomata. Deinde, ubi nihilominus vigiliæ contumaciores ad ſe auxilium vocaverunt, cum temperatioribus bezoardicis & fixioribus non raro miſcuimus opium, v. g. cum pulvere bezoardico, qualis eſt Sennerti vel noſter, illudque, interpoſitis præcipue humectantibus & paucitatem acrimoniamque ſeri corrigentibus, non ſine ſucceſſu adhibuimus, idque tum alias ſæpius, tum hoc ipſo anno ante paucos menſes in laborante continua maligna febri ſtudioſo experti ſumus proficuum, qui, alias tamen ſeroſior, per aliquot dies delirabat, & jam floccos legere videbatur, cum ſignis inſtantium motuum convulſivorum, nihilominus tamen feliciter evaſit.

Bezoardica cum opiatis felicius operantur, & volatilia.

& fixa cum humectantibus.

Nec temere in his ſe gerere oportet medicum nec timide. Nos ſemper loco regulæ in his obſervavimus & reſpeximus ſerum, ut defectu ejusdem reſtituto humorum ſub confœderationis jugum reſtituatur exorbitantia.

reſpectus enim habendus ad ſerum.

Sin ſolitaria opiata & in maiori doſi indicent & cogant quaſi circumſtantiæ, per ſe tamen ex ſpeciali medendi methodo

Quandoq; urgentur ab indicantibus.

thodo liquet, & ante & poſt illa bezoardicis vel fixis vel volatilibus, & inter illa v. g. ⊕ſis, eſſe inſiſtendum, opium vero ut colophonem quendam accerſendum, qui urgentiora debellet ſymptomata, motus furibundos compeſcat, orgaſmum humorum ſiſtat, & quæ alia indicantia attendi merentur.

præſertim in doloribus & fluxionibus,

Quando vero cum febribus junguntur dolores, intenſi, vel excretiones humorum quæcunque impetuoſiores, in ſpecie catarrhi, tuſſes, vomitus, diarrhœæ, &c. tutius longe & præſentius ex crebriori noſtra experientia opiata officium præſtant, quod infra exemplo pleuritidis & dyſenteriæ reddemus clarius.

exceptis criticis.

Inſtante criſi vel die critico non temere dandum opium, ne natura a conatu ſuo impediatur.

in peſte proſunt opiata,

Idem fere dicendum venit de *PESTE:* ubi methodus non ordinaria; ſed extraordinaria & coacta quaſi locum habet, pariter non tam ſolitaria, quam cum alexipharmacis ſociata in uſum vocanda opiata.

mothodo coacta,

Pulcre hanc in rem *D. D. Gieſelerus de peſte Brunſuicenſi obſ.* 36. opiata, *ait*, cum ſudorem ſoleant movere, etiam initio turgente materia quandoque cum fructu adminiſtrantur, tunc ſcilicet, ubi recta medendi methodo progredi non licet, ut in deliriis & vigiliis efferis, verum pauca quantitate, & admixtis alexipharmacis, uti ipſe non ſemel in peſte illa fuit expertus.

& cum alexipharmacis,

Huic geminum eſt teſtimonium *Joh. Hennemanni Reiſingii*, qui in *idea loimode pag.* 38. ſe expertum ſcire, *ſcribit*, quid opium poſſit, ſi alexipharmacis miſceatur, in fervore hoc ſpirituali extinguendo. *Addit*, quando expulſivis miſcetur in recta doſi, tunc ſpiritus illius contagioſi motum ſiſtere, ubi expulſivum medicamentum poteſt illum una cum corrupto humore facilius a corde arcere & ad cutem propellere.

Hinc,

Hinc, uti jam ſæpius diximus, opium antidotis & aliis medicamentis contra venena, & maximos quosque morbos recte miſcetur, ut conjunctim cum iisdem pluribus ſatisfaciat indicationibus. Hinc, quæ verba ſunt *Geſneri l.*1. *epiſt. p.*45. ipſa theriaca plurimum habet opii, non quidem, ut fervorem aut acrimoniam aliorum mitiget, corrigatve, (frigidum enim non eſt) ſed propter vim ſuam peculiarem, qua tollit dolores, & ſubtiles ac penetrantes humores vaporesque venenoſos coercet ac ſiſtit, ut alia prius via evacuentur, quam ad cor pertingant, tum quia ſudorem movet. *Addit* idem vir doctiſſimus his loco epiphonematis: His antidotis opium aut ſimilia aufer, animam abſtuleris, hoc eſt, baſin & præcipuam earundem. Conf. *Bont. animadverſ. in Garc. c.* 4. *p.* 42. quibus recte miſcentur, exemplo theriacæ,

Confirmant opiatorum in peſte uſum *Rondeletius*, *Platerus*, *Angelus Sala*, *Mindererus*, aliique. Videtur huic aſſerto contrarius *Rhaſes l. de peſtil. c.* 6. & *Diemerbrock. l.*3. *de peſt. c.* 8. *p.* 233. qui lethalis eventus ab adhibita potione narcotica meminit *l.* 4. *hiſt.* 49. *p.*302. Sed mitiganda eſt ſententia. Verum eſt, non principaliter & ſolum ſomnum provocandum, omiſſa malignitate, ſed non efficitur eo ipſo, nullum plane locum habere in peſte opiata. licet non ſola æque conducant,

Par ratio eſt in *VARIOLIS* & *MORBILLIS.* Licet enim in his pro negativa contra opiatorum uſum adduci poſſit, quod ſpiritus quaſi figat, & torpidos reddat, ſtuporemque inducat opium, ideoque eo abſtinere ſatius ducatur, ubi expellere animus ſit; Nihilominus ſi convulſionum advertantur indicia, ſi vigiliæ vel dolores graviores adſint, optimo conſilio pulverem bezoardicum cum ZZ. nativa ſelectiſſima, vel ♁ii, & ♁ diaph. & paucis granis magiſterii anodyni feliciter eo in caſu miſcuimus. Accedit quod hoc pacto materia ſubtilis aliquo modo reddatur ad expellendum aptior, & alvi fluxus, uti alias a Uſus opii in variolis & morbillis,

natura bene agente tunc ſtudioſe ſolet adſtringi, præcavetur.

in phrenitide, In *PHRENITIDE* ſpiritus effervescentes indomitos demulcet & coagulat laudanum opiatum ad iij. iv. vel plura grana datum. Sic Principi cuidam Germano phrenitide cum febre acutiſſima laboranti laudani gr. v. propinavit *Paracelſus*, quorum uſu ſex integras horas dormivit, & ſtatim febris abiit, ceu videre eſt in ejusdem *obſervatione* 106. & apud *Finck. enchir. dogmat. hermet. c.* 3. *p.* 13. Exempla alia videri poſſunt apud *Horſtium libr.* 2. *obſ.* 25. *pag.* 92. & alios.

licet magis opportune in declinatione, Quamvis febre vigente in phrenitide narcotica non omnino proſint, neque deſtinatum a medico ſcopum feriant, tamen opportune & in declinatione morbi adhibita præclaros effectus edunt. Rationes curioſas adducit *Thom. Sydenham. meth. curand. febr. ſect.* 2. *p.* 51.

Certiſſimum *idem ibidem* pronunciat, laudanum vel alia narcotica quævis in principio, augmento vel ſtatu morbi ad ſymptoma hoc (phrenitidem) levandum vel non prodeſſe omnino; vel, quod ſæpe accidit, etiam obeſſe. Verum in ejusmodi morbi declinatione eadem mediocri doſi exhibita, v. g. die 12. vel, quod melius, 14. non ſine ſucceſſu uſurpari. Si per vires ægri liceat, decem vel duodecim horis ante narcotici uſum purgans præmittit. Sed quis neſcit, poſt 14. diem utplurimum morbos tales

& dictis jam modis. acutos extra periculi aleam poſitos? Aſſeri omnino poteſt, etiam h. l. cum bezoardicis & aliis morbo debitis ſuam manere opiatis laudem, etiam in initio, ſi inquietudines magnæ moleſtæ ſint, & vigiliæ laborioſæ vires infeſtent, & febrim augeant, vid. *Hartm. prax. chim. c.* 8. *p.* 60. ne quid tamen nimis.

CAPUT II.
Vſus opii in affectibus capitis.

Su-

SUpervacaneum eſt adducere teſtimonia, adhibitorum feliciter opiatorum in *DOLORE CAPITIS* & ejusdem ſpeciebus, maxime hemicrania. In hac aliquoties poſt præmiſſa, quæ addecet, ſudorifera; inprimis vero non omiſſo veſicatorio, omne tulit punctum laudanum opiatum ſuaſu noſtro adhibitum, vel in *liquida* forma, cum ∼ ⊕li cephalico, vel in *ſolida* cum mineralibus anodynam habentibus & cephalicam vim, v. g. cum ſpecifico cephalico remixtum. In cephalalgia urgente *Euſtach. Rudius* dat gr. ij. vel iij. opii correcti cum croco *l.* 1. *de hum. corp. affect. c.* 1. *p.* 9. maxime a cauſa calida, a qua dolores pertinaces fiunt.

Cephalalgiæ & hemicraniæ debetur opium,

Uſus opiatorum non minimus eſt in *VERTIGINE*, autore *Tralliano lib.* 5. *cap.* 4. ubi diacodicum commendat illis, quibus vertigines ob calidos vapores ex ventre, aut corde, aut jecore aſcendentes oboriuntur. Laudanum opiatum ſacra ſæpe eſt anchora, figendo humores & ſubtiles ſpiritus, ſive in capite ipſo proprio vitio extra ordinem in circulum motos, ſive, quod frequentius contingere vidimus, ab hypochondriis illuc derivata labe.

nec vertiginoſis incaſſum datur,

Hypochondriacus vir magnificus, cum inter alia ſymptomata pateretur vertiginem adeo, ut in ſublime trahi & hinc rotari videretur, non ſine metu lapſus ſubitanei in terram, feliciter curabatur ♂libus liquidis, Tinctura v. g. ♂ cum arcano ♀ per infuſionem parata, eſſentia ♂ ⊕ta antiſcorbutica, combinatione ⊖l. ✱ci & terræ Japponicæ extracta elegantiſſima, & pilulis confortantibus cephalicis ex ladani extracto, ſpecifico cephalico & laudano opiato confectis, quarum uſum plus vice ſimplici experti ſumus & in aliis ſalutarem. Profuiſſe in vertigine opiatum hoc laudanum, experientia ſua confirmat. *B. Rolfincius* noſter *Diſſert. VI. de affect. capit. p.* 34.

An

nec maniacis, An in *MANIA*, aliisque deliriis, opiata conveniant, lis eſt inter ſcriptores medicos.

Taxavit eo nomine ſuo jam tempore ſectæ ſuæ contrarios *Cœlius Aurelianus l.* 1. *tard. paſſ. c.* 5. quod cupiant certis medicaminibus maniacis ſomnos altos efficere, papavere foventes, & preſſuram potius atque gravationem capitis, non ſomnum ingerentes.

licet id negare videatur inter alios Helmontius, Advertant, *Helmontius* inſurgit, qui amentes per ſoporativa ſanare intendunt. Nam narcotica vix ſomnum conciliant amentibus quadrupla doſi, ſed amentiam inſuper augent *l. retenta p.* 382. Confirmat idem *jus duumvir.* §. 56. *p.* 191. ubi *ait*, ſæpe per immania ſoporifera maniæ ſuccurrere fruſtra eſt tentatum. In quadruplo ſui nempe vix ſomnum conciliant: ideoque terrore plena eſt eorundem exhibitio. At non minuitur furor per ſopores aut vincula. Narcotica namque dant ſomnum ſomniaque moleſta.

ob varias rationes recenſitas, Et *libro de lithiaſ. cap.* 9. *text.* 84. qui maniam opiatis compeſcere ſatagunt, inſigniter errare docet, 1. cum omne opiatum in ſe ſit amens, quia amentia nil præter ſomnium vigilans. 2. vix decupla opii doſis ſomnum amenti conciliet, minori autem doſi efficiatur nihil. Ergo, innuere *vult*, vel fruſtra adhiberi, vel cum ſummo periculo. 3. differre, *ait*, ſomnum ſponte propria amenti obvenientem, illum enim, ut ex cauſa bona provenit, ita & ſanitatis præcurſorem indicem, amentiam ſolutum iri, ſpondere, ſomnum vero ab opiatis excitatum laborem adferre, & conſequenter malum eſſe. 4. addit, quod in opio ſit connexum aliquod virus, unde lethalia papavera ſomno decantata.

& quod præferendum ſit ♀ ⊕li, Ipſe vero extollit in ♀⊕li deliteſcens ſomniferum ſaccharinum, quod ſuavem apportet ſomnum, cum facultatum principum inſtauratione.

Omnia

cujus ſucceſſus dubius aliis.

Omnia hæc hypotheſi innituntur illi, dari verum ♀ ⊕li anodynum, cujus præparandi ratio legitima vulgo in Paracelſo, aliisque deſideratur. Neque enim proceſſus a *Quercetano*, *Penoto*, *Hartmanno &c.* propoſiti expectationis æque ſatisfaciunt. Alii in ⊕lo vim talem ſoporiferam & anodynam plane negant. De proceſſu vero Helmontiana ♀is hujus pluribus agemus in *Diatr. noſtra de ⊖ ✱ço.*

Concedimus utique Helmontio, medicamentum a ſe ſub ♀is hujus ⊕li nomine commendatum prodeſſe poſſe maniacis, edocti experientia, in ⊕lo & ⊖le ✱co vim cephalicam inſignem, in melancholicis & maniacis ſæpiſſime nobis comprobatam, delitefcere. Verum eo ipſo non tollitur opiatorum in deliriis uſus.

Conciliatur & ad bonum ſenſum trahitur Helmontius,

Si Helmontium rectius attendimus, videtur ſeipſum explicare *l. c. jus duumvir. §. 57. innuens,* mentem ſuam fuiſſe, non, quod omnino opiata non danda ſint maniacis & melancholicis, ſed ſolum, non ut medicamentum primarium, non ſolum; ſed cauſſam eſſe attendendam, quæ in hypochondrio ſedeat plerumque. Quin ipſe paulo ante dixerat *ſ.* 40. opiata ſuſpendere lienem ab operoſa phantaſmatum ſeriorum exercitatione. Jam vero delirantes diverſimodis phantaſmatibus continuo quaſi urgentur, operoſe & ſerio in abſurda labuntur, emota ex orbita ſua, ut ſic loquamur, ratione.

Obſervarunt *alii*, dato opiato laudano ægros maniacos & melancholicos evigilantes majores inſaniæ perſenſiſſe ſtimulos, quibus urgentibus in proximos furunt.

neque enim ſola opiata rem abſolvunt,

Sed non ſola opiata adhibenda ſunt. Præmittenda ſunt univerſalia, V. S. purgatio, alterantia, humectantia, & refrigerantia. Seri enim defectus præcipue in cauſa eſt, quod opiata non poſſint vires ſuas exerere; quod ♀e

O bal-

balſamico opii gravidum eo ipſo irrigare poros cerebri, & ſpiritus demulcere ſupra evicimus. His non juvantibus, quid obſtat, quo minus opiatis ſanguinem fervidiorem atque inordinate motum ſiſtamus, ſomnum, cujus defectus præ reliquis urget, provocemus, cum a vigiliis non interpolatis delirium augeatur, ſicque ſpirituum effrenem & inordinatum impetum ligantes ægrum liberemns? Volatilitas ergo bilis obtundenda v. g. acidis & figenda opiatis, quibus ſolummodo ſæpe maniacos curatos novimus, non neglecta ſeri reſtitutione proportionata.

ſed præmiſſis præmittendis adhibita,

Non agere opiata in his, niſi auctiori doſi, non obſtat. Si enim mediocri doſi datum non proſit, aſcendendum ulterius, ut indicatum indicanti reſpondeat.

Delirare quosdam magis a dato opio, concedi poteſt, & veriſſimum eſt in iis, quibus ſerum parcius eſt, & ♀ ſanguinis prædominatur, idem tamen non valet in omnibus. Reliqua ulteriori diſcuſſione non opus habent. Somnus itaque, elogio *P. Æginetæ l.* 1. *cap.* 97. divinam illam auræ particulam, mentem ſcilicet furentem, emendare conſuevit.

cum feras ipſas mulceat,

Scribit *Petr. Victor. l.* 4. *var. lect. p.* 46. tigrim, quæ catenis etiam vincta, tuto tractari non potuiſſet, opio in ſtuporem conjici neceſſum fuiſſe, (quod tamen cum ſucco mandragoræ omnino videtur confundere,) ne per urbem ad ſpectaculum deducta læderet. Ferinum furorem maniacorum ligat opium, ne irruant, & lædant obvios.

& materiam figat,

Eleganter *Paracelſus l. de morb. ament. Tr.* 2. *c.* 2. *p.* 501. remedia maniæ dividit in alterantia, & figentia materiam peccantem. Utrorumque exempla proponit plura, figentia vero conſtituit opiata, eademque de meliori commendat.

teſte experientia,

Exempla feliciter adhibitorum opiatorum in mania, cum

cum cordialibus & humectantibus, videri poſſunt apud *Hildan. cent.* 4. *obſ.* 9. *p.* 293. in melancholia ad maniam vergente *Horſt. l.* 10. *obſ.* 3. aliosque.

Nos in iisdem caſibus aliquoties utiliter in uſum vocavimus opiata, præmittentes vel emetica, vel purgantia, & præter alia appropriata interponentes modo acida, modo urinoſa, in furore uterino bezoardicum ♃le, ♃rin nativam, alia.

In *EPILEPSIA* ſedativa ſeu narcotica, & in ſpecie opium, rite tamen præparata *Paracelſus l. c. cap.* 1. *p.* 499. commendat. Hæc, doctiſſime *ait*, mirabilem contra caducum habere efficaciam, ſi cum volatilibus miſceantur. Repetit idem præconium & dicit, ſi v. g. cum arcano ⊕li miſceantur opiata, prodeſſe in epilepſia, ultra quam credi poſſit. Epilepticis commendatum opium,

Neque id immerito, ſive id fieri credatur, quia acrimoniam humorum vellicantium ſiſtant, ſive eorundem viſciditatem incidant, ſive ligent in centro, & partem roborent, adeoque vapores & ſpiritus morbificos congelent, diſſipent & confortatis viſceribus propellant, & epilepticum ſpaſmum inhibeant. Hinc eadem antepilepticis, ⏜ ⊕li volatili, elixirio cephalico cum ⏜ urinoſo, in forma liquida, eſſentia v. g. anodyna, pulveribusque cephalicis in forma ſicca cum fructu miſcentur, præcipue, ſi v. g. in infantibus ipſisque adultis tormina & partium membranoſarum vellicationes adſint, quod internam epilepſiam vulgo vocant, quod multis probare poſſemus experimentis. Hinc, monitore *Sennerto l.* 1. *prax. part. II. cap.* 3. *p.* 594. ubi paroxyſmi epileptici inſtantis ſigna præſentit æger, pilula una laudani opiati, cujus partibus quatuor una olei camphoræ admixta fuerit, aſſumi poteſt. cum epilepticis datum. etiam ad avertendum paroxyſmum,

Hinc *Quercetanus tetr. aff. cap. c.* 16. *p.* 214. nepenthes ſuum epilepſiæ promptiſſimum ac ſingulare afferre ſubſi-

dium, *ſcribit.* Exemplum hujus rei obſervatum in puella bimula trium horarum convulſione laborante, nepenthe opiato curata, extat apud *Cratonem epiſt. p.* 251.

ſed caute.

Videndum tamen hic, ne, ſi natura ad exteriora contendit materiam morbificam depellere, motu hoc inhibito reſtitans circa cor materia ſuffocationem excitet, quale exemplum contigiſſe ante aliquot annos novimus.

Catarrhis opium fert opem tenuioribus & acrioribus.

Si *CATARRHI* deplui a capite, ex ſententia veterum, ſeu ſolutum quaſi in cloacam ſanguinis excrementum negotium faceſſat, & tenuitate ſua acredineque moleſtet, opium opem fert, tum cauſæ radicalis reſpectu, tum producti poſterioris intuitu. Si ad unum vel alterum granum detur laudanum opiatum, ad miraculum usque catarrhos ſiſtit, eosque ita ad πεπασμὸν deducit, ut ſine noxa & periculo excerni facile poſſint.

Celebris medicus, cum catarrhis tenuibus ſeroſis affligeretur frequenter, trochiſcos narcoticos Plateri ſemper pro comitibus ſecum habebat. Nos in iisdem caſibus feliciter ſæpenumero ſuaſimus opiata, quæ ob hanc ſuam ἐνέργειαν merentur, ut κατ' ἐξοχὴν nominentur anticatarrhalia medicamenta, Flußpulver, Flußpillen, Flußeſſenz, & hoc ipſo nomine lubentius ab ægris adſumuntur.

CAPUT III.

In affectionibus thoracis opium commendat.

In tuſſi bene ſe gerit opium,

IN *TUSSI* optime ſe gerunt opiata, præcipue, ὅταν λεπτὸν ἐςι καὶ δριμὺ τὸ ἐπιῤῥέον, καὶ ὁ θώραξ ὀκ ἔςιν ἔχον περιττώματος πλῆθος, *quando id quod influit, tenue eſt & acre thoraxque recrementi copiam non habet*, & quibus fluxio tenuis a capite in aſperam arteriam defluit, quæ propter inſequen-

tes

tes tuſſes dormire non permittit. Πάνυ γάρ ἐστι συμμέτρως διδόμενα κάλλιστα, καὶ ὠφελιμώτατα, καὶ παλαιὰς βῆχας ὑπὸ λεπτοῦ ῥεύματος γινομένας ἰώμενα. *Nam cum moderate offeruntur, præſtantiſſima ſunt utiliſſimaque, & veteres tusſes a tenui fluxione concitatas perſanant.*

Hoc ipſo modo in ſuffocationem molientibus catarrhis inſigniter proſunt, tuſſim tollunt, materiam peccantem coquunt, & ad naturalem ſtatum deducunt, ut & excerni poſſit, & ſine moleſtia id fiat. incraſſando & coquendo humores tenues,

Sunt vere ὑγεία καὶ μυστήριον. Quin nulla tuſſis ſine opiatis feliciter tam cito, tam jucunde & tuto tollitur.

Licet enim, ubi viſcoſi, craſſi & glutinoſi humores in bronchiis pulmonum continentur, & abundant, minus conveniant, & ſuffocationem intentare queant, eſt tame illis & in hoc caſu ſuus locus; refracta, ſecundaria doſi, ſi δεόντως *decenter* cum incidentibus vel maritentur vel interponantur, cum & ipſa inciſionem & attenuationem hoc modo juvent, & impetum ſiſtendo, naturam roborent, ut felicius excerni poſſint. moderando craſſos.

Merito igitur in tuſſi hæc commendat præter veteres, inprimis *Trallianum l. 5. c. 4. Helmontius libro jus duumviratus inſcripto* §. 62. faciunt enim non ſolum, ut melius longiusque aut quietius dormiant, ſed, obſervante *eodem*, etſi inſomnes nihilominus urgent noctes, tuſſim tamen pacant & copioſa flava compactaque ſputa compeſcunt, ut materia vitioſa imminuatur, & πεπασμῷ præcedente in melius mutetur. Commendat in ſpecie laudanum opiatum Paracelſi, ut, ſecundum ejusdem principia, indignatio archæi ſopiatur. archæum ſopit,

In priori caſu etiam ſola dari poſſunt, ut acredo humorum ſalſorum & ſeroſorum corrigatur, illorumque ἐπίρρυσις in pulmones cohibeatur, in altero remixta, ut cum e-

lixirio pectorali, &c. Hæc, verbis *Octavii Horatiani*, *l.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. (ubi pro apium, rectius videtur legi opium) & coagulare valent phlegmata, & ſomnos invitant; hæc ſui natura & ſoluta conſtringunt, & beneficio præſtanti, tuſſire minus faciunt dormientes.

Aſthmati non inconveniens opium, An vero in *ASTHMATE* opiata convenire poſſint, non immerito disquiritur. Vulgo quidem parum de uſu contra hunc affectum conſtat, quin prohiberi potius ſolent, ut quæ reſpirationem potius difficiliorem reddant, quam facilitent.

præcordiali, interpoſitis ♂libus, Nos in aſthmate præcordiali, præmiſſo emetico, utiliter dedimus tum fomitem in hypochondriis reſpicientia, ♂lia, præſertim ⊖lata, tum eundem ſedantia, opiata, quæ reſolvunt in grumos aptum ſanguinem, & prohibent vapores, ne vel ad diaphragma vel ad pulmones ferantur, & hoc modo feliciter invenere auxilium ſuſpirioſi, quibus etiam elixir pectorale noſtrum cum ⌒-✱ci volatili, vel gummi etiam ✱ci commode interpoſuimus, cum aliis reſolventibus ex ſpermate ceti, minera ⊙ri, lacte 🜍, ♁ diaphor. cum præcipitantibus aliis.

Laborabat aſthmate ſæpiſſime & per intervalla primum, ultimis annis vero prope continuo vir primarius, cum ſputo purulento, alias arthriticis quoque paſſionibus frequenter afflictus, hic vero a nullo medicamento majorem ſentiebat opem, quam ab opiatis, quibus circa noctem datis, mane altero coctam aliquanto materiam excernebat & liberius ſpirabat. Poſt mortem a nobis apertum corpus exhibebat pulmones undique & undique firmiſſime adnatos, & aqua purulenta plenos.

& a fluxili materia orto, Cum itaque certum ſit, ſæpe aſthma fieri etiam a fluxili materia, quæ apta nata eſt pulmonum bronchia obſtruere, quod hoc loco latius probare inſtituti noſtri non

eſt,

eſt, cur non utiliſſime illi opponantur opiata? Cum ex hypochondriis tantum non ſemper eleventur hi vapores ac halitus ad thoracem, & motum diaphragmatis juxta ac pulmonis interturbent, quidni ligata per eadem & fixata primigenia labe, opiata debeantur aſthmati? Taceo virtutem, quam habet reſolvendi & disjiciendi humores, quo nomine theriaca etiam non raro commendata fuit etiam apud veteres ſuſpirioſis & anheloſis, modo εὐλαβῶς omnia fiant, & bene conſideratis circumſtantiis, ſicuti ineptum foret, in aſthmate hydropicorum, ſicubi reſtagnans ichor, ſpiritualibus jam intentat periculum, aliisque ejus generis ſpeciebus, opiatis uti.

Pleuritidis ſpecificum opium,

In *PLEVRITIDE* narcotica opiata fugienda eſſe, ſedulo inculcat *Trallianus l. 6. c. 1.* φεῦγε δὲ *inquit*, τὴν διὰ κωδειῶν καὶ τὸ φιλώνειον, καὶ ἄλλο τὶ τῶν παρηγορικῶν φαρμάκων. κινδύνους γὰρ μεγίστους ἐπιφέρουσι, δυσανάγωγα πάντα τὰ ὑγρὰ ἐργαζόμενα, μετὰ τοῦ μεταβάλλειν καὶ νεκροῦν καὶ τὴν δύναμιν. *Fugito autem diacodium, & Philonium, aut aliud quoddam leniens medicamentum, maxima namque pericula inducunt, dum omnes humores eductioni contumaces reddunt, præterquam, quod etiam vires proſternant, reddantque emortuas.*

Idem tamen *ibidem* ipſe hoc limitat, eademque concedit, εἰ δὲ ἡ ὀδύνη σφοδρὰ καὶ ἀκαρτέρητος, ἢ καὶ ἀγρυπνία πολλὴ τῆς δυνάμεως ἐῤῥωμένης, *ſi dolor vehemens, & intolerabilis urgeat, vel etiam vigiliæ multæ viribus robuſtis torqueant.*

obſervata ſpeciali medendi methodo, maxime circa declinationem,

Nos non dubitamus ſpecificis antipleuriticis accenſere optiata. Si enim in principio morbi opponantur bezoardica volatilia, v. g. ℞ra bezoardica, cum eſſentia anodyna noſtra remixta, parcius ſc. ſub dictum initium, ſuccedente vero tempore, præſertim circa declinationem magis eadem maritentur ſpecificis fixioribus, ut cum *dent. apr. philoſ. ppt. lapid.* ♋ *mandib. luc. piſc.* ♁ *diaph. ZZ. nat.*

ana

ana ℈j. *laudani opiatig*.j. vel ij. dici non poteſt, quam promte morbus auſcultet medico. Expectoratio hinc melior ſuccedit, vires confortantur, & ipſe morbus felicius longe ad finem decurrit, & hoc pacto ſæpiſſime, etiam absque ulla V. S. reſtituimus pleuriticos. Omittimus alias rationes, quæ ex præcedentibus colligi poſſunt, ne eadem toties repetamus. Adeoque effatum Apollineum *Gabrielis Fontani medic. antihermet. p.* 418. minus tale eſt, narcoticorum & ſoporiferorum remediorum uſum in pleuritidis dolore etiam urgentiſſimo eſſe nocentiſſimum.

& in epidemia.

In pleuritide epidemia & peſtilentiali ex ſero ſcorbutico, laudanum opiatum commendat *Dravvitius Tr. de ſcorbut. ſect.* 7. *p.* 242. etiam in vulgari ſeu ſimplici *ibid. pag.* 252.

Pulveris antipleuritici autoris encomium.

Hoc ipſo noſtro pulvere dato mirandos ſæpius effectus vidimus non ſolum in vera pleuritide, verum etiam in aliis pectoris apoſtematibus, adeo, ut aliquoties præſentaneo cum levamine per alvum purulentam materiam inde evacuatam viderimus. Et hic ipſe longe excellentior eſt, quam alii etiam ſecretiſſimorum nomine hinc inde commendati. Notavi etiam ⊕ſa & ♀rata talibus caſibus antipleuriticis remixta paulo gravius ægros affeciſſe, unde hactenus majori cum fructu eadem his excluſimus, non ignari nihilominus, quantopere & proſint alias & commendentur.

Quibus phthiſicis & quomodo propinandum opium

In *PHTHISI* optimum eſt opium, ſi proveniat morbus a καταῤῥοπῆ humorum acrium, ſalſorum ad pectus, vel a ſputo ſanguinis; ſublatis enim hiſce, ceu cauſis, tollitur conſequens, ſeu producendum.

In phthiſicis vero ab ulcere pulmonis, annotante *B. Rolfincio chim. I. A. F. R. l.* 4. *ſ.* 3. *c.* 6. inhibet & ſiſtit ſputum. Inde periculoſa ejus exhibitio. Suffocantur inde ægri non raro, qui unum aut alterum diem ſupervivere potuiſſent.

Re-

Reſpiciendum eſt ſemper ad expectorationem facilem, quamdiu illa bene procedit, prorogatur vita phthiſicorum. Sin ſupprimatur, opiatis doſi ordinaria adhibitis, noxa præſto eſt. Doſi vero minori refracta, quæ diſtinctio quam maxime attendi meretur, commode in uſum vocari & cum aliis miſceri poteſt.

In *CORDIS* affectibus quidem non primario & ſolitarie prodeſt opium, unde inter cardiaca proprie & ſtricte dicta locum non obtinet, nihilominus, ubi virium exolutione ſpiritus deficiunt, aliquoties profuit opii grani unius tertiam partem cordialibus reficientibus admiſcere, & maximam præſtitit utilitatem. Hoc enim modo non ſolum ſpiritibus materia ſuppeditatur, ſed & eorum diſſolutio prohibetur, unde maximus virium lapſus dependet, ceu optime alicubi obſervat *Kyperus*, adeoque ſuo modo confortat quoque opium ſpiritus. In affectibus cordis, a reſolutione [illegible]uum,

Debetur opium grumeſcentiæ ſanguinis, quam lipothymiæ, ſyncopes & palpitationis cordis cauſam adduximus *Ephemer. German. ann. II. obſerv.* 197. *p.* 298. craſſiores partes ejuſdem reſolvit, tenuiores alterat & diſſipat, acriores vero temperat & corrigit. ſanguinis grumeſcentia,

Hinc in ejuſmodi ægris, lipothymia ſc. ſyncope & cordis palpitatione laborantibus, quæ ſymptomata ſane in hypochondriacis ſæpiſſime obſervavimus, ceſſantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad ſenſum, nil præſentius invenimus & conſultius, quam reſolventia & præcipitantia opiata per vices adhibita. Abegimus affectum & illum præcavimus his ſolis. in ſyncope & palpitatione cordis.

In uſu nobis eſt eum in finem *pulvis abſorbens* dictus ex ⊕lo ♂, cum ♁ diaph. vel in mulierib. bez. ♃, conchis, lap. ♋. coralliis & cinnabari compoſitus, ita, ut ſingula doſis conſtet grano uno ſolum vel altero ⊕li ♂, & tota compoſitio recipiat ſimul opium. v. g. Pulveris abſorbentis Wedeliani deſcriptio,

P ℞. ⊕l.

℞. *⊕li ♂* g. vj. *conch. pp. lap. ♋. ppt.*
corallior. ♁ diaph. ZZ. nat. a. ℈ß. gr. xv. ℈j.
laud. op. gr. j. *ol. caryoph.* gtt. j. M.F. pulvis. D. in charta 𝔖.uff 6. mahl. Poteſt dari pro circumſtantiarum urgentia ſingulis horis, cum aquis cinamomi, meliſſ. aliisque ſpirituoſis, vel ſolum cum vehiculis domeſticis, cereviſia vel vino. Addere etiam licet pro ditioribus, ſi cui id libeat, perlas, lap. bezoar, ol. cinam. & alia.

ejusque uſus in dictis & uterinis malis.

Non poſſum ſatis deprædicare effectus, quos ab hoc uno pulvere vidi, quam cito omnia conquieverint inde ſymptomata, quam feliciter tono ſuo reſtitutus ſanguis, quam optime etiam ſymptomata hyſterica huic ipſi morem geſſerint, ſubſecuto ſæpius vomitu cum maximo juvamine, uti ab ejusmodi reſolventibus novum non eſt in praxi, & alvum & vomitum quandoque cieri, licet effectu æquivoco. Præferendus eo nomine hic merito tot ſirupis, ſpeciebus & compoſitionibus cordialibus.

Caput IV.

In morbis infimi ventris, & quidem Ventriculi & hypochondriorum, quid opium poſſit, explanat.

In cholera opii uſus,

CHOLERA humida, a phlogoſi ventriculi, ſedanda eſt laudano & adſtringentibus refrigerantibus, non pulveribus ſtomachicis calidis, ait *Riolan. enchir. anat. p.* 123.

cum cautela,

Cavendum tamen eſt, ne intempeſtiva opera vomitum in illo morbo opiatis cohibere ſatagentes, eo cohibito, non minus periculoſam malorum catervam invehamus. Permittenda acribus humoribus corruptisque tantiſper evacuatio, donec ſufficienter depletis iis, viribus ſuccurri poſſit roborantibus & ſiſtentibus. Sin

Sin autem urgeat ſymptoma, absque omni metu cordate iis uti licet ſtatim. Ita *Riverius cent.* 3. *obſ.* 85. tertiana maligna media æſtate laboranti, cum tertia acceſſione tanta conjungeretur humoris biliofi malignitas & ferocia, ut concitaretur vomitus, ac alvi fluxus frequens cum ſummo ægri periculo & maxima virium jactura, cum felici ſucceſſu propinavit laudani opiati gr. iv. ſi urgeat ſymptoma.

Nos eſſentiam theriacalem cum anodyna conjunctam feliciter eo caſu adhibuimus ſæpiſſime, dando eandem vel miſcendo cum ▽ cinam. c. v. aq. menthæ, aliisque, unde ſtatim ſimul & ſemel ſæpenumero omnia conquieverunt. Solatur opium cardialgiam,

CARDIALGIAM ſolantur opiata. Urgente *dolore inflammatorio*, cum lenientibus ea admiſceri poſſunt in pauca quantitate: ſic enim neque actionem ventriculi impedient, dolori ſuccurrent, & intemperiem imminuent, verba ſunt *Ludov. Septal. l.* 7. *animadverſ.* §. 3. *p.* 221. Hinc *Albucaſis* non revelandum remedium in dolore ventriculi vocat deſtillatum opii cum capitibus allii apud *Holler. l.* 1. *de morb. intern. c.* 32. *p.* 532. juxta alios cum decocto fl. chamæmeli datum ladanum ſtatim juvat. Miſcuimus eo caſu lubenter opium 1. cum *carminativis.* Vietor cardialgia laborans, cum ſumma anxietate, adſumpta doſi eſſentiæ carminativæ cum anodynæ paucis guttis, extemplo levabatur, magno cum nominis incremento, initio quippe praxeos id contingebat noſtræ. 2. *præcipitantibus & oleoſis.* Fœmina, coriarii conjux, 46. ann. dyſenteria graviſſime decumbebat anno 1669. accedebat ſingultus, & cardialgia cum tanto ardore oris ventriculi, ut prunam ſe ibi ſentire quereretur, ſpe vitæ fere omni abjecta; dedimus pulverem ♁tem ex conchis & lap. ♋. c. pulv. Bezoard. ol. coryophyll. & opii parum. Dictum factum omnis conquievit ardor, omnis dolor, omneque periculum evanuit.

Singultum, In *SINGVLTV* quovis curando præ aliis omnibus conducere opiata, veriſſime ſcribit *Sylvius l.* 1. *prax. c.* 23. *p.* 325. §. 19.

Uſi ſumus egregio cum ſucceſſu opiatis in ſingultu tum alio, tum in primis convulſivo, aliquoties. Commiſcuimus ex caſtoreo parata in liquida vel ſolida forma, neque unquam nos fruſtratus eſt eventus.

Vomitus, *VOMITVS* ſiſtunt opiata, ſive ab hypercatharſi eveniant, ubi vel ſola eſſentia theriacalis cum aq. cinamomi ſufficit, vel præbium opiati alius medicamenti, ſive ab aliis cauſis irritetur ad ἀνακάθαρσιν hanc & ſupinitatem ventriculi natura. Hic illud obſervavimus ſingulare, quod ſæpe a propinata laudani opiati una vel altera pilula unicus rediit vomitus; quaſi confortata natura reliquum omne ejicere moleſtum ſatagat, de hinc præcipue pilulari forma, vero quievit prorſus. Notabile & illud eſt, ſolidam pilularem formam aliis omnibus eſſe in hoc affectu præferendam, niſi quid impediat. Soliti ſumus doſin pilularem quandoque theriacæ miſcere & confectioni alkermes, ſicque forma boli felicem eundem obtinuimus effectum. Addi etiam poſſunt ol. menthæ vel cinamomi gtt. j. vel altera.

Rationes horum ex ſupra dictis de uſu generali patent.

βέλιμον, In *APPETITV NIMIO* aliquot vicibus ſuppetias nobis tulit opium. Vir nobilis hypochondriacus, de latis ad ventriculum humoribus acidis & acribus, eumque εὐαίσθητον alias ſolicitantibus, laborabat fame immodica, quæ nullis ſedari poterat cibis. Dedimus ol. ♀ri per deliquium & ſub noctem paucas doſes opiati pulveris abſorbentis, & ſublatus fuit moleſtus ille affectus penitus. Hinc in aucto appetitu, ſi malum ſit contumax, ad opiata confugere licet, quod præcipue in βελίμῳ proprie dicto locum habet.

Huc

Huc adeſte *HYPOCHONDRIACI*, *SCORBVTICI*, qui indies novis affligimini ſymptomatibus, doloribus, vigiliis, aliisque, promtum habete remedium, opium.

hypochondriacum affectum & ſcorbutum,

Lubet hæc illuſtrare non tam noſtra frequenti experientia, quam celeberrimi viri, & non ſolum de Principum & Electorum aulis, urbibusque primariis, ſed potiſſimum de medicina noſtra longe meritiſſimi *Dn. D. Johannis Danielis Horſtii*. Ita vero laudatiſſimus vir in literis ante aliquot menſes ad me datis: Singularem caſum hiſce diebus notavi hypochondriaci cujusdam, opiatis reſtituti. Is a cachexia ſcorbutica varia paſſus ſymptomata: ſtupiditatem, vigilias, anorexiam, termorem & tetras convulſiones epilepticas, præmiſſis præmittendis, opiatis feliciter reſtitutus eſt, præter omnium ſpem & expectationem. Tam ſæva, multiplicia & gravia ſymptomata & mihi & adſtantibus animum ita turbarunt, ut actum putaverimus. Tandem poſt reiteratas & ſæpius exhibitas opiatas medicinas incidit in ſomnum x. horarum, ex quo expergefactus totus mutatus erat, & ab enumeratis ſymptomatibus plane liber, non ſine adſtantium ſumma admiratione. Affinis ejus illuſtr. Wilhelmus Curtius, Regis Angliæ Conſiliarius & Eques Baronettus, nobis jam præſens, licet de mœrore, vigiliis & ſervitiis laſſus, neſcio qua hilaritate compulſus ad carmen eſt, idque paucis horis condidit, tradiditque filio adhuc ſcilicet prætextato, qui id mihi primo mane tanquam ſuos labores porrigeret:

eorumque varia ſymptomata,

Hippocrates quæ ſparſa dedit prognoſtica fati
in Fago erant tremulo conſpicienda ſimul:
Sex ſoles Lunæque exſomnes, trux epilepſis
& pulſus nullus, nulla ſalutis avis.
Præfica jam planctu diras placaverat umbras,
& dederant anceps murmura noſtra VALE.

Fortior at Parcis certamen ut Horſtius intrat,
jam laſſa Lacheſis projicit arma manu,
Cardiacis, opio nequiens obſiſtere Clotho,
nec purga-cerebro Cerberus helleboro.
Rem gratam liceat ſaltem laudare modeſte:
Gratior eſt nobis Horſtius Hippocrate.

Præcipue ſi convulſiva irritatio accedat,

Recte hinc in ſcorbuticorum quibusdam affectionibus, inquit *Williſius Tr. de ſcorbut. c.* 10. *p.* 323. ſe malle quovis præterea medicamentorum genere, quam opiatorum uſu deſtitui, nec enim ſolummodo contra dolores & vigilias pertinaces, verum in paroxyſmis aſthmaticis in vomitu, diarrhœa, quin etiam in vertigine, & pathematis convulſivis, quoties natura ſupra modum irritata inordinationes immaniores concipit, nullum præſtantius remedium ſæpius expertus eſt, quam ut narcotico tuto adhibito ſomnus concilietur.

ad minimum mitigat.

Et licet in doloribus v. g. ſcorbuticorum non intermiſſio totalis, infallibiliter tamen inſignis mitigatio ſequitur, teſte *Dravvitio de ſcorb. ſ.* 8. *p.* 330.

CAPVT V.

Opii uſus in inteſtinorum ſymptomatibus.

An in colica opium proſit?

IN *COLICA* quibusdam male audiunt opiata, tum, quod ſolum errore relevationis fallant, ob præſentis temporis perditum ſenſum, hebetudine partium ſuffecta, quæ verba ſunt *Cœl. Aurel. tard. paſſ. l.* 4. *c.* 7. tum,

Obj.

etſi mox omnem dolorem tollant, plerumque tamen eorundem uſum contractura membrorum ſequatur, & hinc vitanda eſſe præcipit *Muſſaz in prax. Mſſ.*

Quin ipſe *Pergamenus* antidota ex opio, mandragora, al-

terco

terco & ſtyrace, caute uſurpanda ait in inteſtini laxioris doloribus *comm. in 6. epid. & 5. aph. comment.* 13. iſta enim membra circumfrigerantia, ut iterum ab iisdem cauſis offendantur, paratiora efficere.

Neutrum tamen argumentum tanti eſt, ut uſum opiatorum in colicis excludere omnino poſſit, modo non fœcum in inteſtinis adſit infarctus, cui prius medendum eſt. Opium binis rationibus colicis auxiliatricem præbet operam, 1. *per ſe*, quando efferato dolores perſiſtunt freno, aliisque cedere renuunt medicamentis, quo paſſu poteſt dari laudanum opiatum, vel magiſterium anodynum, cum oleis carminativis. Nos utiliter ſolemus uti eſſentia noſtra carminativa cum anodyna in aq. aneth. cort. aurant. &c. Eſt vero hæc: Reſp. affirmando. Confert per ſe,

℞ *rad. zedoar.* ℥j. *carlin. galang.* a. ℥ß.
cort. aurant. ſem. aniſ. carv. fl. chamæm. Rom. a. ʒij.
caryophyll. aromat. bacc. laur. acor. ver. a. ʒiß.
macis ʒj. M. Extrahantur contuſa & conciſa g. m. cum 🜄 *cort. citr.* acidulato ſatis 🜄u 🜍, qui extractione per aliquod tempus facta addi debet. Doſis gtt. xx. xxx. Inde obſervavimus ſæpius præſentaneo cum effectu ſublatum omnem dolorem.

Præcipue vero convenit opium in colica biliosa, calidiore temperie præditis & ob tenuem acremque dolorem dolentibus. His enim non ſolum non nocent talia anodyna, ſed magis opitulantur, dum tenuem, acrem & bilioſum humorem craſſum reddunt, ad concoctionem perducunt, ad bonamque temperiem convertunt, non refrigerando, ſed acrimoniam corrigendo, & flatus diſcutiendo. Vid. *Trallian. l.* 10. *c.* 1.

2. Opiata colicis conferunt cum *purgantibus* mixta. Hæc enim purgantia ægre ſæpius retinent colici, ἀναῤῥοπία & cum purgantibus,

humo-

humorum ad ventriculum facta, ideoque vel acida addenda, -✓- ⊖, ⊕li &c. vel laudanum opiatum refracta doſi miſcendum. Non enim ſufflaminat tunc operationem purgantis medicamenti, ſed juvat, & ſimul dolores ſedat. Cum enim natura hoc modo roboretur, fortius exſurgit, ut medicamentum *κατωτερικὸν* in actum deducat, hoſticamque exturbet materiam. Vid. *River.* paſſim *in obſ. Thoner. l.*3. *obſ.* 5. & alios, inprimis *Eraſtum diſpp. contra Paracelſ. part.* 4. *p.* 248. ubi in colica ℥j. ſpec. hieræ vel aloes adjicit opii & caſtorei a. g. j. vel ſesquigranum, interdum etiam duo, quod facere ſe *addit*, ne diutius quam par eſt intra corpus maneant. *pag.* 249.

dosi refracta etiam tum emeticis,

Quidam tunc purgantia in majori doſi danda eſſe volunt, ſi opiata miſceantur. Imo etiam cum emeticis, ſed quantitate parva, jungi poſſunt opiata. Vid. *Sylv. prax. l.* 1. *cap.* 15. §. 29. *p.* 187.

Ileo convenit opium,

In *ILEO*, ubi implacabilis dolorum ſævitia torquet, anchora ſacra & extremum ſunt ſolatium opiata; laudani e. g. granum unum vel alterum per ſe dari poteſt, vel, ut in colica annotatum, una cum purgantibus, ut una tollatur fidelia & dolor & materia morbifica, vel quod nos

ante purgantia quoque,

facere conſuevimus, primo opiato nepenthe doloribus ſuccurratur, hinc purgante exſtimulentur alvinæ feces & vitioſi humores.

Utut vero ratio utique conſulenda ſit, ne forte agoniſanti & deſperato jam iliaco propinetur, indeque ſiniſter eventus conſequens vel medicamento, quod multos juvit, vel medico imputetur; In his binis tamen, purgantibus ſcilicet & opiatis, unica verſatur iliacorum ſalus.

Exemplum hujus rei dedimus & conſignavimus *ann.* II. *Ephemer. German. obſ.* 238. *p.* 340. quod ibi videri poteſt, neque enim huc transſcribere animus fuit.

In

In *DIARRHOEIS* ἢ ἀπὸ τῶν φαρμάκων, ἢ ἀπὸ τῶν χυμῶν ἐλατηρίων καὶ μοχθηρῶν, ſive *a purgantibus fortioribus,* ſive *pravis vitioſis humoribus* inductis, ſtatim ſæpe ſedant fluxum opiata, magna cum ipſius ægri & adſtantium admiratione. Diarrhœis ſalutare eſt.

In *DYSSENTERIA* male quibusdam audiunt narcotica. Specioſus hanc in rem extat locus apud *Trallianum l.8. c.6.* ubi imperitos medicos mox inter initia narcotica dare aſſerit, eo quod ſomno dolorem levare videantur, falli autem ipſos, dum ægros accepta potione tota nocte dormire & ventrem retineri conſpiciunt. Cum enim, *addit,* dies illuxerit, inutilis labor deprehenditur; quia humores in unum collecti ſine intermiſſione dejiciuntur, & capite gravato, viribusque labefactatis ventrem reddunt deteriorem, & majus cibi faſtidium inducunt, & ideo nunquam ea medicamenta dari debent, niſi forte neceſſitas urgeat. In dyſenteria an conveniant, quidam negant;

Minadous Doctor Patavinus obſervavit, omnes illos dyſentericos, qui de conſilio medicorum opiatis uſi ſunt, mortuos eſſe. Additurque ratio, quod ulcera inteſtinorum ab opio putridiora & ſordidiora reddantur, citante *Hoffmanno de uſu & abuſu med. chim. p.* 30.

Ut ferum fateamur, pace plerorumque Practicorum ſcriptorum, negativam ſtatuentium, & opium in dyſenteria vel damnantium, vel timide admodum exhibentium, dicere aliter non poſſumus, quam ſine opio nullam veram dyſenteriam curari commode poſſe, oleumque & operam cum aliis adſtringentibus ſæpe numero perdi. Rectius vero affirmatur.

Bone Deus! vidimus in dyſenteria, ſtatim in principio 40. 50. 60. intra σ/ρ, (incredibile dictu) ægros fuiſſe maceratos, dejectosque ſedibus. Dato convenienter opio, ſtatim pacatiori rivo mali ſentina effluxit. Nec fluxum tam ſiſtit opium, quam moderatur, quam corrigit, dolo- Dyſentericorum cruciatus ſalutem ab opio, expectant,

Q res

res minuendo, morbumque, quod ſæpius repetimus, in centro detinendo, ut affluxus & effluxus ſit moderatior. Sancte teſtor, me omnibus dyſentericis, quorum ultra quadringentos curandos habui, cum feliciſſimo ſucceſſu propinaſſe opium, & pleroſque illos evaſiſſe feliciter notavi, qui non vel morbi vel malignitatis vi, vel aliarum circumſtantiarum ratione abrepti, in tempore, quod rerum omnium eſt primum, auxilium petierunt.

dato cum bezoardicis.

Dantur in dyſentericis optime opiata cum bezoardicis, tum volatilibus in principio, ſeu mediis potius, tum fixioribus, in fine. Hac methodo feliciſſime permultas dyſenterias expugnavimus. Utut enim non negemus, poſſe quandoque in dyſenteriis benignis, quæ a ναυσιώσει vaſorum potius oriuntur, quam irritatione & eroſione, quæ item ab ingeſtis, turgentibusve vitioſis humoribus negotium faceſſunt, poſſe, inquam, initium curationis fieri a rhabarbaro ſeu toſto, ſeu ſibi relicto, junctis abſtergentibus, & dehinc adſtringentibus curationem perfici. Sed ubi mali moris eſt morbus, ſeu aeris vitio epidemio, ut plures decumbant, ſeu domeſtico pravorum humorum, acrium puta, ſalſorum, aut in graviori ſtatu arſenicalium, in corpore putredinosa fermentatione ortus, uti quidem plerumque obſervavimus, tutiſſima & nobis hactenus frequentata eſt ſupra laudata methodus.

Dyſenteriam curandi methodus.

Dedimus initio ℞am noſtram bezoardicam cum anodyna remixtam, ita enim miaſmata maligna diſcutiuntur, corriguntur que, febris incrementum prohibetur, (quæ tantum non ſemper adeſt, ut ſæpiſſime petechias ipſas conjunctas viderimus,) putredo arcetur, adeoque acrimonia humorum ſopitur. Hoc ſolo medicamento decenter dato & repetito, morbo huic ferali, ſæpe in principio frenum injecimus, ut præſentaneum ægri ſenſerint auxilium.

Si

Si dolor & fluxus urgeat, majori doſi opus eſt, ut proportio ſit inter morbum & medicamentum.

Conſentit *Hœferus l.* 3. *Herc. med. c.* 5. aſſerens, per laudanum opiatum, præmiſſis præmittendis, ſe olim ſalinarii cujusdam ſecretarii liberos omnes, & inter hos ſemeſtrem puellam, a dyſenteria feliciter ſanaſſe. Laus opiatorum in dyſentericis,

Eleganter idcirco *Jacob. Bontius in not. ad cap.* 4. *Garc. ab Horto pag. m.* 41. ſcribit: Certe laudes hujus ſucci ex papavere expreſſi, ſi vellem referre, viderer chimicis velle ſuum honorem præripere; hoc ſaltem dico, ſi nobis hic de opio ac opiatis non eſſet proſpectum, fruſtra in calidiſſimis Indiæ orientalis regionibus medicinam faceremus dyſenteriæ, choleræ, febribus ardentibus, ac reliquis bilioſis affectibus orgaſmo turgentibus. Idem ſua experientia probat & laudat *Horſt. conſil. dyſenter. c.* 3. *p.* 226. *illuſtris Boyleus* rhabarbarum cum grano uno laudani conſulit; tum enemata ex lacte bubulo. & aliis bilioſis affectibus.

Exemplum lethiferi ſucceſſus habet *Thoner. l.* 3. *obſ.* 8. *p.* 167. ſed a medicaſtro dato laudano.

Illud tamen notandum, quod in dyſenteriis indolentibus cautius ſit adhibendum ſacrum hoc medicamentum, ibi enim bezoardicorum vis debet eſſe fortior, licet omnes hoc modo affectos mortuos eſſe, nec ullis vel generoſiſſimis remediis ſervari potuiſſe *anno II. Ephem. German. obſ.* 43. *p.* 82. adnotaverimus. Et hic valet illud *Tullianum*: carere omni ſenſu doloris, miſerius eſt, quam dolere. Cautio in dyſenteria indolente.

In *HÆMORRHOIDIBVS* immodicis, valdeque dolentibus, præſertim ſi mali vehementia nimis urget, & vis expultrix irritata eſt, laudantur opiata. Prodeſt opium, in hæmorrhoidibus immodicis,

Maxima tamen in horum adhibitione requiritur circumſpectio, ne *Horatianum* illud incurrat medicus:

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

h. e. ne alvus conſtringatur, & vaſis occluſis, ſicque caloris διαπνοῇ *ventilatione* prohibita, accendatur febris, qui metus eſt *Sennerti l. 4. prax. part. 2. ſ. 2. c. 6.*

non omiſſis ♂ ibus, Conſultum vero eſt, cum hæmorrhoides maximam cognationem habeant cum affectu hypochondriaco, unde & cacochymiæ & imperfectæ ſanitatis indicium præbere ſolent, præter opiata ♂lia & aperientia alia generoſa adhibere. Obſervavimus aliquot ægros, qui fluxum hæmorrhoidalem aliquoties experti, cum per aliquod tempus uterentur ℞a ♂ aperitiva temperatiori, illas non ſenſere amplius.

Vidimus etiam binos immorigeros, qui dolore cœcarum hæmorrhoidum vexati ab opio & amuleto noſtro, fabaria, opem tulere, (cujus ſane effectum præter noſtra experimenta continuata plurima, præter alios *D. D. Bartholini l. de transplant. morbor. pag.* 18. & *D. D. Schrœckiorum*, Haffniæ & Auguſtæ Vindelicorum teſtimonia, exceptione majora comprobant,) cum vero non curarent ea, & internis viſceribus illuc ceu ad ſentinam humorum confluxum amandantibus non proſpicerent, redeunte malo putredinem ibi paſſos, & degeneraſſe morbum in cancrum quaſi occultum, unde νεκρώσει interaneorum ſubſequente miſerrime periere.

& purgantibus lenioribus, Neque inconveniens eſt ſæpenumero, interponere purgantia, eo potiſſimum caſu, quando bilis copioſius in inteſtina lata fluentium hæmorrhoidum curſum continuat. Vir primarius per aliquot menſes fluentibus hæmorrhoidibus moleſtatus, aſſumpto leni purgante alias ipſi familiari, plurimis evacuatus eſt ſedibus per biduum, nec poſt feces aliud ſubſecutum eſt, quam liquor plane bilioſus, unde illico hæmorrhoides ſubſtitere, nec per plures ſeptimanas poſt vel minimum de illis ſenſit amplius.

CA-

CAPVT IV.
Effectus opii in affectibus renum, & articulorum.

AN in *CALCVLO* conveniant opiata, dubium occurrit. Sunt qui omnes eos, quicunque opiata nephriticis exhibent, ſiniſtre exhibere credunt, ſiquidem illis facultas expultrix ſopiatur & ligetur quaſi, cum tamen eadem potius roboranda ſit, & ad expellendum inſtiganda. Dextre adhibentur opiata in calculo,

Sed ſi v. g. dolor urgeat, calculus ſit magnus, vigiliæque inde & denique forſan lipothymiæ oriantur, propina, quæſo, expellentia, ſtimulantia, facultatem expultricem roborantia, ipſamque vitam cum gemitu expelle. Non poſſunt expelli calculi, ut lumbrici. Quin ſæpe, cum calculus jam intravit ureteres, inſignesque ciet cruciatus, neque tamen expelli poteſt, adhibitis aliis externis, quæ eundem retrahunt, ceſſant dolores.

Contra ea, obſervatum eſt a nobis ſæpius, datis ejusmodi demulcentibus facultatem longe magis roborari. Neque ſopitur eadem hoc modo in totum, ut nil amplius agat, ſed dolores ſopiuntur, ut facultas expultrix eo valentius inſurgere poſſit. Ita pulvis ex lapidibus ♋. cinnabari minerali, & opio, conſtans ab *Excell. Dn. Ludovici*, fautore & compatre noſtro colendo, *Diſſert.* 1. *Pharmac. modern.* p. 448. commendatus, crebriori noſtra experientia longe optimus eſt, cui reſolventia alia ex ſpermate ceti, aliisque quandoque non inutiliter miſcuimus. cum temperatioribus lithontripticis, & nervinis,

Ita *Unzerus* laudanum opiatum, reliquis medicamentis in caſſum adhibitis, feliciſſimo cum ſucceſſu ad placandos nephriticos dolores non ſemel in uſum duxit, præcipue ſi nondum egreſſus ſit e renibus,

quando ſcil. calculus nondum renibus fuerit egreſſus, aut ſaltem leviter inde emotus. Eo autem egreſſo, alteque ipſis ureteribus impacto, tum inefficax hoc remedium deprehendit, *l.* 1. *de nephrit. c.* 7. *p.* 986. & quamvis exhibitum tunc nonnihil levaminis initio viſum fuerit attuliſſe, tamen momentaneum tantum illud fuiſſe obſervavit, recrudeſcente nimirum paulo poſt eodem dolore, ſæviusque quam antea affligente.

Exemplum feliciter in nephriticis cruciatibus uſurpati opii, vid. apud *Horſt. l.* 10. *obſ.* 3. quæ tota de viribus laudani opiati agit. Confer. *Bartholin. cent.* 3. *epiſt.* 46. *p.* 192. ubi in *teneſmo* & calculo proficuus opii uſus deprædicatur, *Hœchſtetterum decad.* 6. *caſ.* 1. *p.* 675. ubi plura ex Veteribus adducuntur loca, huc non transcribenda.

Aſylum podagræ, opium, In *PODAGRA*, præcipue ſi dolor cauſæ veſtem induat, & urgendo ad ſe curationem trahat, ad opiata confugiendum, ceu ad aſylum.

& arthritidis vagæ ſcorbuticæ, Arthritidem vagam ſcorbuticam unice fere debellare poſſunt eadem. Conſveta nobis hanc curandi methodus, in quamplurimis feliciſſimo ſucceſſu probata, maxime in mulieribus, quas in Thuringia noſtra frequentius viris ea affici videas, eſt 1. antiſcorbuticis & ♂libus, 2. univerſalibus, tum purgantibus, tum ſaluberrima in his affectibus venæſectione. 3. ſpecificis opiatis in pilulari vel alia forma adminiſtratis.

interne Qui enim præmiſſis hiſce noverit ☿ metallicum ſolare cum opio maritare, & prudenter adhibere, næ feliciſſime hunc perdomare noverit & alios morbos.

& externe. Exterius in articulari hoc morbo quandoque etiam opium adhiberi ſolet, cum aliis mixtum. Nos ea intentione adhibere ſolemus linimentum noſtrum nervinum ex ♃ formicarum, lumbricorum volatili & ⊖lis ✱ci vel C. C. vel utriſque, addito interdum liquore opiato, vel ipſo ♃ opii.

Notan-

Notandum tamen, ne opiatis ipſis liberaliore uſu hoc pacto inſiſtentes, quam ut doloris ſævitiam aliquo modo leniant, magis noceamus, quam proficiamus, viam parantes humori peccanti ad tophaceam duritiem. Opiata enim articulis adhibita incaute, nocent.

Obiter hoc loco illorum culpandus venit mos, qui in arthritide externis oleoſis, unctuoſis, & pinguibus, modo his, modo illis, prout dolor jubet, utuntur, vel ſolis vel cum opiatis remixtis. Vidimus hæc ut plurimum plus nocumenti quam commodi poſt ſe reliquiſſe, & id ipſum inter cauſas tophorum & nodorum omnino referendum judicamus. De externis antipodagricis judicium.

CAPVT VII.
De uſu opii hyſterico, & aphrodiſiaco.

IN *AFFECTIBVS HYSTERICIS*, ſuffocatione, hyſteralgia, menſibus immodicis, fluore albo, aliisque, opium divinum eſt auxilium, ſive additis caſtorinis aliisque laudanum hyſtericum inde confiat, ſeu pro re nata cum appropriatis miſceatur, qualia exempla plura apud autores, inprimis *Hartmannum*, *Paracelſum*, *Platerum*, aliosque proſtant. Et nos ipſi frequenti experti ſumus experientia, quantum utilitatis ad uterum redundet ab opiatis. Ita pulverem abſorbentem ſupra citatum invenimus in hyſtericis accidentibus utiliſſimum; elixir uterinum cum anodyna tinctura mixtum facit officium; ſi cum ebore ppt. ſuccino, caſtoreo & magiſt. lap. ♋. miſceatur opium, in fluore albo conſurgit egregium medicamentum, modo recte quis eo utatur. Extant hujus rei veſtigia apud Coum ipſum, qui *lib.* 2. *de morb. mulierum c.* 87. *p.* 610. in affectibus hyſte- Uteri medetur opium affectibus.

hyſtericis τὸν μήκονος ὀπὸν *papaveris ſuccum* cum aliis præſcribit.

Hinc recte a *Paracelſo l. de morb. ament. tr. 2. cap. 4. p.* 503. inter confortantia matricis refertur quinta eſſentia opii. Exemplum laudano opiato feliciter curati furoris uterini in nobili fœmina ſangvinea refert illuſtris *Bartholinus centur.* 5. *hiſt.* 85. *p.* 165. Alia exempla ad ſymptomata hyſterica videre eſt apud *Decker. meth. medend. p.* 118. & alios.

An opium ♀em cieat? An aphrodiſiacum ſit opium, & ♀em excitet, autorum non una mens eſt.

Affirmantes id recenſentur, *Cardanus*, *Scaliger*, & *Nicol. Monardes* Amphionem illum, quo ad venerem ciendam utuntur Indi & Turcæ, nil aliud eſſe, quam opium teſtantur.

Confirmat id ipſum relatio *Joh. Jac. Saar. itiner. Ind. orient. p.* 11. qui expresſis verbis ſcribit, parare indos in Bantam lectuarium ex opio, quod Affion vocant, coloris cineritii, ſaporis dulco-amari, cujus uſu feroces fiant; Chinenſes vero in Batavia eo uti ad excitandam venerem, cujus uſu adeo veneris œſtro incitantur, ut per totam noctem veneri litent, ſæpe aufugientibus, nec ulteriorem vim ſuſtinentibus ſcortis. Vid. de hoc latius *B. D. D. Sachs*, etiam poſt fata celebratisſimus *Tom. II. Ephem. Germ. obſ.* 69. *p.* 126. ubi & alii citantur.

& negantes alii. *Garzias* e contrario *l. c.* non ſolum aphrodiſiacum eſſe negat opium, ſed & uſu ipſius ſteriles factos ſe obſervaſſe memorat. Sic & *Renodæus l.* 1. *de mat. med. ſ.* 10. *c.* 2. *p.* 279. experientia conſtare ſcribit, opium libidinis œſtrum potius coercere, atque ignavos carnis reddere motus.

Diverſos opium edit effectus Utut vero variet tum aliorum medicamentorum, tum opii noſtri effectus, pro diverſitate regionum, temperamentorum, individuorum, & utendi modorum, adeoque opium in aliis venerem excitet, in aliis frænare eandem

queat,

In pruritu partium genitalium idem *ibid. p.* 152. commendat ſequens: ℞ ceruſſæ ℥vj. ♀ citrin. ℥ij. opii ℥j. M. cum aq. & applica partibus genitalibus. In eundem uſum cum unguento refrig. Galeni & populeo miſcet opium *Hartmann. prax. chim. c.* 275. — ad pruritum genitalium,

Nos in moleſtiſſimo hoc affectu obſervavimus pleraque externa fruſtraneam navare operam. Juvenis plethoricus 24 ann. a tribus annis ſenſerat pruritum intolerabilem fere in ſcroto, tum tenſione, titillatione & pollutionibus nocturnis. Medici ipſi præſcripſerant emulſiones interne & externe, epithemata item ex acidis, camphora & aliis. Pinguibus exaſperatus fuerat ſemper affectus. Conſuluimus præter univerſalia uſitata, V. S. purgationem &c. aquam calcis vivæ, ſed levi cum fructu, hinc cum omnia fere externorum genera ab aliis jam ordinata fruſtra fuiſſent, conſului veſicatorium in femore, a quo cum levamen ſentiret manifeſtum, applicato fonticulo in parte domeſtica tibiæ in hunc diem liberrimus ab iſto malo vivit.

Opium prohibet pilos naſci, juxta *Savonarol. pract. tract.* 6. *rubric.* 29. *p.* 85. ex hypotheſi, quia ſtupefacit & infrigidat locum, qui tamen uſus ob ſuperius dicta vix attendi meretur. — ad pilos prohibendos, Poſſet hic latius deduci externus opii uſus in dyſenteria, podagra aliisque affectibus, ſed cum ille partim ex dictis pateat, partim paſſim receptus ſit, eo ſuperſedere jam lubet. — ad dyſenteriam, In dyſenteria commode adhibuimus theriacam cum oleis ſtomachicis remixtam & ſtomacho impoſitam, quod & cum ⊕lo ♂ & terra ſigillata fieri poteſt.

In *dentium dolore* pilula ex laudano opiato denti dolenti excavato intrudi commode poteſt. Sic & *pilula Herlicii* in ore detenta omnem dentium dolorem mirifice ſedare ſcribitur *a Sculteto armam. chirurg. obſ.* 28. *p.* 89. — ad odontalgiam.

quæ conficitur ex ſemine apii, hyoſcyami, opio & ſirupo papav. ubi quidam ſedato dolore os eluere jubent decocto roſmar. ſalv. major. ſpicæ, hyſſopi & ſimilibus, ut noxam ab opiatis impreſſam tollant. Locum habet balſamum odontalgicum:

℞ *laudan. op.* ℈j. *ol. camphor. caryoph.* a. gtt. v. *corp. pro balſ.* ʒß. M. F. balſamum, cum bombace dolenti denti applicandum. Nos frequentius uſi ſumus ſeq.

℞ ℞ *odontalg. noſtr.* ʒij. *anod.* ℈ß. Teneatur in ore, & cum humor ſatis attractus fuerit, exſpuatur. Temperat acrimoniam, odontalgiam excitantem. Cum attenuantibus his felicius quam per ſe uſurpatur, imo bene reſpicienda eſt cauſa, cum ſæpe tutius ſit & melius interius eadem propinare, ſæpe dolorem non tollant, ſed magis & violentius inſuper provocent, quale exemplum videri poteſt apud *Hippocr. l. 6. epid. ſect. 6. t. 46.*

CAPUT II.

Uſus opii in clyſteribus & ſuppoſitoriis.

Quidam opii tutiorem uſum æſtimant in clyſteribus,

AN citius & tutius in actum ducantur opiatorum vires clyſteribus immiſtorum, quam per os exhibitorum, quæri poteſt.

Savonarola Tr. 6. c. 1. rubr. 9. de vigiliis, ſecurius eſt multum, *ait*, opiata per exterius quam per interius approximare, unde eadem in clyſteribus & ſuppoſitoriis quoque commendat. Sic & *Eraſtus* audacius per clyſteres infundi juſſit opium, cum ſapa in colica, quod non diu inhæreat. *part. 4. contr. Parac. p. 249.*

additis rationibus,

Alii quoque affirmativam tuentur, præcipue cum in

acu-

acutis & aliis gravioribus morbis vigiliæ vel ex doloris vehementia, vel humorum nimio æſtu adeo invaleſcunt, & vires frangunt, ut opiata amplius tuto ventriculo committi nequeant. Ne itaque natura omni auxilio deſtituatur, authores ſuadent immiſcere opiata clyſteribus. Sic *Sennertus l.* 1. *med. pract. part.* 2. *p.* 334. *cap.* 7. in phrenitide, in ſummo virium lapſu, ubi opiata non commode interius aſſumuntur, clyſteribus ea admiſcenda monet. Affirmat id ipſum quoque *Mercatus l.* 1. *de recto præſidiorum art. med. uſu c.* 3. *p.* 58. & 63.

Pro negativa vero facit 1. quia remotior locus eſt a nervorum origine & primo αἰσθητηρίῳ. 2. facilius a principio nervorum ad ulteriores propagines mittitur medicamentorum vis, quam vice verſa, uti in ſimili exemplum eſt in clyſteribus nutrientibus dictis, & aliis. Rationes in contrarium.

Utroque modo officium faciunt, melius vero & præſentius ἄνω aſſumpta, quam κάτω inferiori gutturi infuſa. ἐπίκρισις.

Imo uſus internus tutior longe eſt quandoque externo. Admirandum, quod opium crudum dentibus applicatum, quod nonnulli affirmant, clyſteribusque infuſum homines necaverit. Internus uſus tutior.

Clyſteres tales anodyni bene componuntur ex paregoricis, cum emollientibus mixtis in lacte vaccino, vel jure vervecum coctis. Hinc colaturæ addi poteſt opium, ſi extremi urgeant dolores, ſed non in magna doſi, v. g. philon. Rom. vel theriacæ recentioris ʒj. vel laudani opiati gr. v. vel IIX. Vid. *Regner. Graff. Tr. de clyſter. p.* 188. vel requies Nicolai ad ʒij. *Dravvitz. de ſcorbut. ſ.* 8. *p.* 330. Clyſteres anodyni opiati

Utubique, ita & h. l. caute agendum; cum enim gummata v. g. *ſagapenum, ammoniacum* &c. per clyſteres infuſa mortem intulerint, quia adhærent, nec repelli poſſunt, ceu annotat *Schenckius ex Rondelet. tom.* 1. *l.* 3. *obſ.* 250. caute adhibendi.

pari modo opium, cum viſcedinem quandam inſtar prædictorum in ſe contineat, pariter inſinuando ſe plicis inteſtinorum moram trahere, ſuique exterminium impedire poteſt.

ne noceant, Ita Monſpeſſuli pharmacopœi cujusdam uxor, cum atrociſſimis coli doloribus laborans opii ℥j clyſtere recepiſſet, in coma incidit, ut habet *Salmuth. cent.* 2. *obſ.* 97. *p.* 109. quod curatum fuit clyſtere alio ex vino malvatico injecto.

Hinc ſolvendum prius eſt & bene diluendum, ſi cum clyſteribus id applicare ſit animus.

ut & ſuppoſitoria; Par ratio eſt ſuppoſitoriorum. In collyrio, quod Avicennæ interpretibus eſt ſuppoſitorium, adhibitum opium mortem acceleraſſe teſtatur *Abuali l.* 3. *fen.* 16. *Tr.* 1. *c.* 4.

Exemplum ſimile conſignavit *Gattinaria in comm.* 9. *ad Almanſ. c. de ſoda cholerica* & ligato ſermone id ipſum refert *Bouſſuetus l.*2. *de art. medend. p.*32. Plures autores de utroque caſu ex *Galeno*, *Rhaſe*, *Marcello Donato*, *Alexandro Benedicto*, & aliis collegit *Sennertus l.* 6. *med. pract. part.* 7. *c.* 1. *p.* 291. Videatur & *Sinibald. geneanthrop. l.* 3. *tr.*2. *cap.*10. it. *Zacut. Luſit. M.P.H. l.* 1. *hiſt.* 60. *p.*426. Hæc proinde exempla quemvis cautius mercari nec opium temere per guttur inferius intrudendum doceant.

Tutius erit ſomnum per enemata procurare corrigendo hypochondriorum & viſcerum ſiccitatem, mitigando humorum æſtum, vel ſedando dolorem. Eligi queunt mitiora, ut Philonium Romanum, Perſicum, aliaque jam dicta. Neque tam opium crudum, quam bene præparatum eligendum, ut laudanum opiatum, confectio opiata, ut & narcotica Mynſichti. Notandum etiam, ut doſis ſemper ſit minor. Non diu præterea ejusmodi enemata retineantur, nec corrigentia negligantur, qualia

ſunt

ſunt oleum caſtorei, anethi, chamomillæ, de baccis lauri. Tandem, ſi opus videatur, rejecto clyſtere opiato malvaticum infundendum.

Sin caute adhibeatur, in exulcerationibus inteſtinorum & doloribus convenire ſuppoſitum poteſt opium. Ita *Franciſc. Joel. l.* 4. *pract. ſ.* 3. *p.* 337. ſuppoſitorio ex opio facto ſæpiſſime dyſentericum fluxum cohibuit, quod experimentum bis adhuc in operibus ſuis commendat. *Addit:* crebro autem glans ex opio ano inſeratur, ſed ultra quardantem horæ in inteſtinis non eſt dimittenda, ſed rurſus appenſio filo eximenda, quod ipſum quoque monet *Guainerius*. — Suppoſitoria opiata in dyſenteria.

Neque novum illud eſt, ſed jam a *Tralliano* dudum commendatum, quem *vid. l.* 8. *c.* 6. *p.* 357. ubi varia ejusmodi ſuppoſitoria deſcribit.

CAPVT III.

Cautelæ circa opiatorum uſum.

CUm cautela opium dari debet, inquit *Petr. de Creſcent. l.* 6. *commod. oper. rural.* — Dandum opium caute, circumſpecte,

Divinum medicamentum eſt opium, *δεῖται δὲ ἀσφαλείας καὶ μετριότητος· circumſpectione vero & moderatione opus habet.*

Sacra vitæ anchora eſt opium, bene & circumſpecte agentibus: cymba autem Charontis in manu imperiti, & ceu gladius in manu furioſi. Cavendum ergo, ne *ναρκωτικὰ* fiant *νεκρωτικά*.

Temerarius hypnoticorum uſus quantum pariat damni, explicat *Ballonius lib.* 1. *conſil.* 65. & *lib.* 2. *hiſt.* 4. *p.* 123. — non temerarie,

Quantumvis igitur opiata in infinitis morbis inſignem & egregium præſtent uſum, imprudens tamen & indiſcriminatus eorum uſus mortem multis intulit, licet exempla

 talia

talia rarius annotentur, exitus enim felices diligei ter colligimus, *ἀποτυχίας* autem & mortes nec animadvertimus.

[cautelæ: 1. ratione virium,] *VIRES* ut ſemper primatum obtinent in indicationibus, ita & hoc loco circa uſum opii. *Primo*, ne morbo, cui contra ire animns, atterantur, *deinde*, ut pares ſint huic medicamini, quod propinandum venit.

[non dandum imbecillibus;] Circa illud tenendum, ut mature ſuccuratur; circa hoc, ne agoniſanti & in extremis verſanti ægro, viribus penitus ecclipſantibus, præbentes medicamentum, quod multos juvit, illi notam malignitatis inuramus.

Nec ſolum præſentes ſpectandæ & attendendæ ſunt vires, ſed & futuræ.

Eleganter *Trallianus l.* 1. *c.* 13. *εἰ δὲ, inquit, καὶ ἀσθενὴς ἡ δύναμις ἦ, παραιτοῦ τότε μάλιστα διδόναι τι τῶν ναρκωτικῶν. Ἐπὶ γὰρ τῶν ἀσθενῆ τὴν δύναμιν ἐχόντων οὐχ ἡ τυχοῦσα βλάβη τῇ πόσει τῶν τοιούτων παρακολουθεῖ, ἀλλὰ θάνατος ἔσθ' ὅτε. Sin vires quoque imbecilles fuerint, tunc maxime vitabis, ne quid de narcoticis exhibeas. Nam in his, qui infirmas habent vires, non vulgaris noxa talium potionem comitatur, imo mors inde ſequitur.*

Et l. 6. *c.* 1. *εἰ δὲ ἀσθένεια δυνάμεως εἴη, φεῦγε παντελῶς τὰ ναρκοτικὴν ἔχοντα δύναμιν. Si virium imbecillitas adſit,* [& deſperatis.] *vitato prorſus narcotica.* Conſultius eſt, autore *Lindano*, non expectare tamdiu in exhibitione ejusmodi medicamentorum, donec ſpiritus jam plene conſumpti ſint, ſed in tempore uſurpanda, ſi adhuc vires conſtant. In rebus deſperatis ad opium non eſt fugiendum, ſed antequam ad deſperationem perventum ſit.

[2. ratione temporis,] Falli poteſt medicus in exhibitione medicamenti, ob defectum neceſſariæ talis conditionis, qua recte non adſumitur, præcipue *RATIONE TEMPORIS.*

Exem-

Exemplum lucidiſſimum præbet laudanum opiatum, probatiſſimum medicamentum.

In tempore cum errat medicus exhibendi, & porrigit ægro extreme debilitato, vel in ſummo ſenio, vel in agone, vel phthiſica ulceroſa diſpoſitione, dum ſputum ſupprimitur, viaticum eſt ad vitam æternam, dictante laudatiſſimo *B. Rolfincio, commentar. in aph. Hipp.* 1. *c.* 10. *p.* 20. reſpectu morbi,

Medicus quidam Practicus in uſu habebat, in agone verſantibus, ut minori defungerentur mortis anxietate, ſed facilius reſiduum quod eſſet lampadis vatalis jam extinguendæ, minori cum nixu extingueretur, propinare laudanum opiatum. De eo in certa quadam perſona in agone conſtituta nosmet moniti, maluimus abſtinere, quam famæ ſubire diſpendium.

Hollerius l. 1. *de morb. intern. c.* 27. *p.* 278. Nunquam vtendum eſſe ſcribit narcoticis recens paratis, ſed ſemeſtre ſpatium eſſe expectandum, aut eo plus. Cautela hæc ab ipſo etiam *Tralliano* jam propoſita *l.* 3. *c.* 4. δῆλον δὲ, *inquit*, ὅτι τὸ ὄπιον ἐκλέγεσθαι δεῖ τὸ παλαιὸν, διὰ τὸ φεύγειν ἡμᾶς τὸ πάνυ ναρκωτικὸν αὐτοῦ. *Conſtat autem opium deligendum eſſe vetus, eo quod nos magnam ipſius in torpore inducendo facultatem vitamus.* opiatorum paratorum,

Tanti tamen hic metus non eſt; recentiſſimis licet opiatis uti, modo id μετὰ ἀσφαλείας, *cum cautione* fiat. Quo recentiora eo efficaciora quidem ſunt, neque tamen vetuſtum inefficax, κρᾶσιν quippe obtinuit non ita facile diſſipabilem, utrumque tutum eſt, & ſine ullo periculo datur.

Nonnulli danda cenſent narcotica calido ſemper ægro, & cum cœtera fruſtra ſunt, quinque horis a tenui cœna. partium diei,

Poſt cœnam opiata danda monet *Hercul. Saxon. prælect. pract. part.* 1. *c.* 10. §. 6. *p.* 37. Saltem quinque horis ab

ab accepto cibo: & cœna ſit parca, ait, ne opium, quod replet caput, impenſe concurrente vapore cibi copioſo, apoplexiam inferat. Rectius tamen id limitat *Cæſalpinus*, & duabus vel tribus horis a cœna dari ſcribit *l.* 1. *art. med. c.* 13. *p.* 33.

Diſtingui & hic poteſt 1. inter doſin ordinariam & extraordinariam, ſi primaria intentione dentur, tempus nocturnum optimum eſt, 3. vel 4. horis a cœna. Sin ſecundaria, etiam mane & poſt meridiem. 2. inter tempus electionis & neceſſitatis, quod quidem per ſe patet.

humorum evacuationis, *Arragoſius apud Cratonem epiſt.* 55. *pag.* 78. Periculoſam ſcribit exhibitionem laudani opiati, ubi 1. vires ægri non ſunt firmæ, 2. Corpus non eſt evacuatum, 3. & humores craſſi ſunt. Teſtatur etiam ipſe *Crato epiſt.* 188. *p.* 241. Quod impuris atque crudis corporibus nocere re ipſa compertus ſit.

Quæritur ergo non immerito, an prius, quam adſumantur opiata, purgandum ſit corpus? *Galenus* & alii affirmant. Nos, inquit *Proſp. Martian. comm. in l. de morb. mul. ſ.* 4. *poſ.* 172. *p.* 274. veſtigia Hippocratis ſequentes, in curatione eorum morborum, in quibus aut dolores vigent, aut humorum importunus motus, aut eorum acris qualitas viget, ſymptomatibus ſtatim ſuccurrimus prius, quam ad purgationem deveniamus, idque ſi urgeat dolor, per aliquod medicamentum, quod opium recipiat, v. g. theriacam, aut pilulas de cynogloſſa, aut requiem Nicolai aut Philonium, prout res exigit, & Deum teſtor, hunc curationis modum mihi ſucceſſiſſe feliciter, nec quicquam incommodi ſemel quidem ægrotanti contigiſſe novi.

quod variat; Si licet, præmisſis præmittendis, Venæſectione vel purgatione, ſi morbus ea indicet, poſt principia dari poſ-

ſunt

ſunt opiata; ſin circumſtantiæ methodum variant, etiam citra hæc.

Caſpar. de Caldera de Heredia, Tractatu tribunal medicum inſcripto ait, poſt narcoticum aſſumptum, altero die venam non ſecandam, illud enim eſſe lethale. Nos, ſi valde adſtringentia præbeantur, ſanguinis motum impediri novimus, ut vena ſecta nullus elabatur ſanguis, unde utique cauti eſſe debemus, ne inſcitiæ accuſetur medicus. Venæ Sectionis,

Hæmoptyſi laborans, R̄a ♂tis adſtringenti & opiatis diu uſus, curabat medici ſui juſſu aperire venam; ſanguis vero ſtetit inſtar glaciei, ne gutta quidem exeunte.

Ne in paroxyſmis ipſis, v. g. hemicraniæ, febrium, epilepſiæ dentur opiata, multi quam maxime cavendum jubent, idque non immerito, ne natura hoc modo a pugna ſuſcepta revocetur, & devinctæ quaſi arma exturbentur. Strategemata morbos hos ligandi & abigendi latet in tempore, debent enim dari medicamenta ante paroxyſmum, præcipue ſi periodum juſtam obſervet morbus. Limitari tamen hoc ipſum quoque poteſt ab urgentibus circumſtantiis quandoque, & concedi tunc opiata ſucciſa doſi. paroxyſmorum febrilium & aliorum,

Tam provida ſolet eſſe in paroxyſmis quoad illa medicamenta, quæ retrahere illam ullo modo queunt, ut illorum actuationem differat, pugnæ ſuæ intenta; ſic datum purgans durante paroxyſmo ſæpe interpolatur, poſt illum demum officio ſuo fungens. Quando itaque opium ea doſi in paroxyſmis pro re nata datur, ut naturam non interturbet, non liget ſed juvet, eatenus etiam tunc locum habere poteſt.

Par ratio eſt in motibus ſpontaneis ſeu a natura inſtitutis, per quemcunque locum expellat materiam natura, ut in diarrhœis, morbillis, variolis, aliisque motibus cri- ut & motuum naturæ,

ticis, in quibus narcoticorum fortiorum uſus plerumque funeſtus fuit obſervatus. Melius eſt, debilitari ægrum & inſomnem ad aliquot dies perſiſtere, quam protinus extingui. Idque adeo in omnibus malignis locum habet, uti ſupra jam innuimus, ut cautiſſime in uſum vocentur opiata.

& partus Memoranda hoc loco illorum conſuetudo, qui in uſu habent inſtante partus tempore laudanum opiatum exhibere, ſpe certa confiſi, ſi juſtus adeſt terminus, naturam inde roboratam iri, ſin minus, dolores immaturos ſiſti. Quæſiti in ſimili & quidem illuſtri caſu, an conſultum eſſet, eo uti, abnuimus, præcipue cum obſervationibus nobis conſtaret, dato hoc modo opio, ſæpe dolores, parturientibus neceſſarios, inhibitos fuiſſe, & difficiliorem nixum inde ortum.

Exemplum improvide adhibiti opii duplex. Refert *Foreſtus l.* 9. *obſ.* 14. de cacochymico, cui imperitus medicus in dolore calculi ſtupefaciens exhibuit opium, quo deglutito nec amplius evigilavit æger, atque ita, quem dormire voluit, excitare poſtea non potuit, quod *Celſus* cavendum monet *l.* 3. *c.* 14.

Ita & novimus viduam, cum menſes reſtitantes per os viam quærerent, ſanguineo vomitu ſubſequente, obſtructis viis inferioribus, ab imperito chirurgo ſumſiſſe poculum adſtringens, cui admixtum erat opium. Sana & ſalva quæ videbatur, & modo cibum ceperat, deſubito extincta eſt. O cœcitatem, o temeritatem tonſoriam!

3. ratione temperamenti, affectuum & partium affectarum, In frigidis affectibus aut ſubjectis, minus de opiatis exhibemus, quam in calidis; humoribus craſſis pituitoſis & viſcidis minus eadem conveniunt. Hydropici unius grani opii exhibitione moriuntur, notante *Walæo Meth. med. p.* 153. Conſummati ſcilicet, ubi libere vibrari nequit diaphragma, nec flabellum ordinarium ventilationem ſuam præſtare, inde ab opiatis primaria intentione

datis

datis facile tota ſufflaminatur actio, alias enim, pro re nata, etiam hydropicis quandoque ex uſu eſſe poteſt, ceu a *Scribonio Largo comp.* 126. *p.* 75. opium in hydrope inter alia commendatur. Vbi roboranda eſt natura, magis quoque convenit, & quibus ab ejus aſſumptione alvus movetur. Exemplum hujus rei egregium vid. apud *Barthol. Cent.* 3. *epiſt.* 46. *p.* 192. in hydrope,

Opium & opiata in omnibus *ventriculi affectibus*, niſi urgente *dolore inflammatorio*, fugienda eſſe monet *Septal.* *l.* 7. §. 3. Cavendum eſt ab ejus uſu in iis, quibus debilis eſt appetitus, qui facilem habent alvum, & infirmum ventriculum, in iis enim utplurimum alvum ſolvit, & appetitum proſternit. affectibus ventriculi,

Diagoras & *Eraſiſtratus* uſum opii damnarunt in aurium doloribus & oculorum lippitudinibus, quod & viſus aciem habetaret, & ſoporiferum eſſet, teſte *Dioſcoride l.* 4. *c.* 65. quod ex eodem repetit *Plinius.* Addidit Andreas, protinus excæcatum iri, qui eo illineretur, niſi adulteraretur. aurium, oculorum,

Confirmat idem *Pergamenus l.* 2. *de compoſ. medic. κατὰ τόπ. cap.* 7. ubi: Raro cogimur pharmacis ex opio uti, cum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur, quamquam & tunc ſolidæ partes ex ejus uſu offendantur, adeo ut poſt hæc correctione opus habeant. Sic & ex opio collyria multis detrimento fuerunt, adeo ut debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem, amblyopiam Græcis vocatam, induxerint, velut etiam auditus gravitatem inducunt, quæcunque ad vehementem aurium dolorem ex opio compoſita ſunt, ſeu, ut *l.* 8. *c.* 4. *ejusdem Tractatus* loquitur, ea ad immedicabilem frigiditatem particulas deducunt. in collyriis, otenchytis,

Idem pluribus, quænam collyriorum ex opio uſum damna ſequantur, exponit *l.* 3. *m. m. c.* 2. & *l.* 13. *cap. ult.* ac

proinde ſubjungit, ſi quandò illis uti nos cogat neceſſitas, non ita multo poſt ad illa tranſeundum, quæ vim opii maleficam corrigere valent.

doloribus & ulceribus oculorum, *Avicenna l.* 2. *Tr.* 2. *cap.* 526. in doloribus oculorum & ulceribus concedit uſum opii, cum lacte mulieris, alibi tamen non utendum eo cenſet, niſi in acerbiſſimo dolore, ex materia ſubtili & corrodente, ubi ſyncope & extrema dejectio virium metuitur. Videatur hanc in rem *Chriſtoph. a Vega art. med. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 1.

ophthalmia. Hinc in *ophthalmia* opii uſus neque frequens eſſe debet, nec multus, animadvertente *Septalio l.* 6. §. 93. quia ob amarorem mordet & dolorem auget. In ſummo ergo dolore interdum opiata miſcenda, ſed in minima doſi.

otalgia, odontalgia. In *otalgia* quoque caute utendum opiatis. Nihil enim magis auditum reddit difficiliorem, quam narcotica faciunt. Sæpe & in *odontalgia* præſtat ea interius aſſumere, quam dolentibus partibus applicare, quod jam dictum.

4. Ratione ætatis, in infantibus, Ratione ÆTATIS *Infantibus* & *pueris* opiata rarius & parcius danda. Ita ſolet vulgo iisdem quandoque exhiberi theriaca, quod ſi in pauca doſi fiat, adeo incommodum non eſt. Sin ſecus, debilitatur facile ingenium, & memoriam obtundunt opiata, quin ipſi cerebro nociva creduntur. Vid. *Septal. l. c. l.* 3. *anim.* 46. *I. I. Scharandæus l. de rat. conſerv. ſan. c.* 12. *p.* 103. An vero tenellæ ætati, atque anguſto pectori juxta pernicioſum ſit, juxta monitum medicum *Tulpii* 39. abſolute, nemo facile affirmaverit. Si enim & tenella ætate conſtituti male habent infantes, ut indicetur opium, doſi ipſis proportionata, utique tutiſſime dari poteſt, quod feliciſſime in praxi experti ſumus vel millies ſucceſſiſſe ex voto.

Senibus, quibus cum Senibus non adeo conveniunt ac aliis ætatibus. Quin præpoſtere ſæpe his ad ſomnum provocandum præſcribuntur,

buntur, qui ſpec. diambr. & diamoſch. in forma elect.. & aliis calidis ſæpe moleſtas abigunt vigilias, teſte *Sim. Pauli* *Quadrip. Botan. p.* 71. *&* 145. Verum eſt, vaporoſa ejusmodi, calidum nativum roborantia, convenire ſenibus in moleſtiſſimo ipſis pervigilio, uſus tamen opiatorum ſimilibus moderate admixtorum tutiſſimus eſt. Cauſa autem, quod interdum perperam adhibeantur in ſenibus, interdum non tuto frequententur, eſt partim ſiccitas, & defectus humorum; partim metus, ne in apoplexiam diſpoſitio præſens augeatur. Nos cum ſpirituoſis & humectantibus ea feliciter eo caſu adhibuimus, inprimis miſcendo ℞am anodynam cum ∽ ⊕li cephalico volatili.

∽uoſis & humectantibus danda.

Habent ſecum hoc vitii narcotica, quod plerumque exſiccent corpus, unde nunquam ſine humectantibus offerenda, aut ſi hoc non liceat cum ipſis, ante tamen vel poſt iſta danda, præcipue iſto caſu, uti diximus, cum ſufficienti ſeri quantitate ſanguinea maſſa deſtituitur, unde reſolubilitas opiatorum impeditur. 5.

ratione mixtionis;

Tacemus hic alia, quibus cum miſceri poſſint opiata, utpote de iis jam ſupra diximus.

Ratione *uſus & applicationis* quædam etiam dicenda occurrunt. 6.

ratione uſus, & applicationis

Jam olim Mneſidemus apud *Dioſcor. l. c.* uſum duntaxat olfaciendi probavit ad conciliandum ſomnum: alioqui ceu noxium damnavit. Recte vero ſubjungit *Dioſcorides* tum huic aſſerto, tum præcedentibus modo citatis, *ἅπερ ἐςὶ ψευδῆ, ὑπὸ τῆς πείρας ἐλεγχόμενα, διὰ τὸ ἐπιμαρτυρεῖσθαι τοῖς ἔργοις τὴν ἐνέργειαν τȣ̃ φαρμάκȣ.* *Quæ quidem omnia commentitia eſſe, experimento deprehenditur, ſiquidem effectus virium hujusce medicamenti fidem facit.*

Hercules Saxonia l. c. prælect. pract. part. 1. *c.* 10. *pag.* 36. quem & alii ſequuntur, extrinſecus prius adhibenda innuit,

nuit, ubi ſi nihil effecerint, intrinſecus quoque præbenda.

externæ; Imo etiam externe a quibusdam cautelæ adduntur, præcipue quoad caput. Externis cephalicis urgente rei uſu non raro adduntur opii aliquot grana. Admonet tamen *Farnciſc. Hildesheim ſpicil.* 1. *de dol. cap. p.* 16. dum illo extra uti volumus, ne admoveamus illud commiſſuræ coronali, ſed fronti. Cerebrum enim minime tolerare poteſt opium citra noxam, commiſſura autem, quia eſt pars capitis rarior, facile opium recipit, quod non contingit, ſi fronti applicetur, quo de ſupra jam actum fuit.

7. ratione præbii, Quoad *DOSIN*, quidam a levioribus ſemper incipiendum ſuadent. Vid. *Fabrit. Hildan. libr. de gangr. & ſphacel. c.* 24. *p.* 826. Generalis h. l. repetenda eſt cautela, ſemper tutius eſſe ſubſiſtendum infra ſummam doſin, & præſtare, repetita potius vice ut voti compos fiat medicus, quam extrema ſtatim tentando opprobrium ſibi accerſat. Peccatur hic magis in exceſſu, quam defectu. Sic narcotica ſi immoderatius aſſumantur, etiam ſola apoplexiam effeciſſe non raro obſervatum fuit, teſte *Wepfer. de apopl. p.* 25. Neque valet, quod olim methodici gloriabantur, cum uſu narcoticorum ſublato dolore, quanquam mors ſequeretur, ſe tamen morbum abegiſſe, teſte *Galeno l.* 2. *ad Glauc. c.* 2.

8. ratione præparationis: Ex ſupra dictis etiam fluit, ut bene & fideliter ab exercitato artifice ſint præparata, quod allegato loco *Hildanus* quoque monet.

In ſomno longiori non deſperandum ſtatim. Non vero ſtatim deſperandum, ſi legitima obſervata methodo, datis opiatis æger per longum tempus dormiat, præſertim ſi vigiliæ præceſſerint continuatæ.

Retulit nobis venerandus *Rolfincius*, ſe aliquando collegæ ſuo medico, Dn. D. Zachariæ Brendelio, Lipſia reduci,

duci, ubi per plures noctes inſomnis commoratus erat, & hinc aliquo modo ſenſibus perturbatus, propinaſſe laudani opiati gr. vj. cujus uſu cum indormiiſſet, 24. horas & amplius, evigilans ſanitati redditus fuit integerrimæ.

Plures cautelæ, eæque elegantes videri poſſunt apud ſæpe citatum *Septalium l.*3. *animadverſ.* 43. *& ſeqq. Neſter. Conſil. antidyſenter. c.*11. *p.*248. *Grubium de med. ſimpl. cognoſc. p.*147. *Crollium Baſil. chim. p.*235. & alios. Aliæ cautelæ omittuntur.

CAPVT IV.

Invectivæ in opium deciduntur.

NIhil tam bonum eſt, quod non in contrarium vertat culpa, vulgata eſt parœmia. Valet id de opio eo magis, quo circumſpectiori uſu indiget, & facile culpa in eo committi poteſt. Cum vero primus gradus ſit ſanitatis, ut libenter medicamentum accipias, elogio *Quintiliani declamat.* 14. Hinc cum non ſolum olim, antequam illud divinum medicamentum a *Platero*, *Geſnero*, *Horſtio*, aliisque quaſi ex altis tenebris protractum, & hodie a chimiatris ſuperba ſede locatum fuit, communi quaſi medicorum vulgarium calculo ex uſu medico deturbatum fere fuerit, ſed & hodiennm adhuc tam doctis quam plebeiis quamplurimis male audiat, neceſſe eſt, has inculpationes declinare. Opium heroicum medicamen accuſatur.

Optandum ſane cum *Platero*, ut medici temere hanc introductam & male inveteratam de pernicioſo opii uſu opinionem deponant, cum ſine eo ſæpiſſime ſe turpiter dent, nec quicquam ferme laude dignum deſtituti tam heroico medicamento efficere poſſint. inveteratæ opinione,

Mirum eſt, quod opium ſit quaſi lapis offenſionis, illis, qui ſequuntur puram medicinam Galenicam, quique noluerunt immittere pedem in ſanctuarium chimicum, præſertim a chimiæ ignaris,

uti

uti loquitur *Febure, Traitte de la chymie p.* 614. cum tamen in quamplurimis veterum antidotis, hodienum adhuc multis in locis receptis, opium primarium obtineat baſin, & revera nec crudum opium ex oriente adlatum, nec lege artis chimicæ præparatum quicquam in ſe habeat, de quo timendum ſit.

quod ſit venenum,

Venenum eſſe opium, adeoque æternæ requiei & diſpenſatorem & promotorem, communiſſima multorum eſt invectiva, per traditionem plerumque, vel quod hoc vel illo loco legatur infamatum, inducta.

ab authoritatibus,

Evincere illud ſatagunt authoritatibus. Has large congeſſit *Sennertus l. 6. pract. part. 7. cap. 1. p.* 286. & *Zacut. Luſit. med. Princip. Hiſtor. lib.* 1. *Hiſt.* 60. *quæſt.* 29. *pag.* 428. aliique.

cum aliorum, tum ipſius Galeni,

Galenus ipſe valde timidus fuit in adhibendo opio, quod ex pluribus locis a *Zacuto* conſignatis patet. In una quaque affectione proprio potius pharmaco utendum exemplo ſuo ſuadet, ſemperque opium fugit, neque niſi urgente neceſſitate ad ejus uſum pervenit. *l.* 3. *de compoſ. med. κ. τ. c.* 10. idque quia corpora viventium ab omnium ex opio, hyoſcyamo & mandragora compoſitorum medicamentorum uſu mortificationi ſimile quippiam patiuntur *l.* 8. *κ. τ. c.* 4.

Limitat hunc uſum, ſeu noxam potius, prout vel ſolitarium, vel cum aliis mixtum adſumitur opium. Sic *l. de theriac. ad Piſon. c.* 13. ὁ δὲ ὀπὸς, *inquit*, τῆς μήκωνος, ὅτι μὲν ἐστιν ἀναιρετικὸς μόνος ποθεὶς, οὐδεὶς ἀγνοεῖν μοι δοκεῖ. οὗτος δὲ μεθ' ἄλλων τινῶν σκευασθεὶς, τοῖς νοσοῦσι βοηθεῖ πολλάκις, ὡς σωτηριωδέστατον αὐτοῖς εἶναι φάρμακον. *Quod opium per ſe potum exitiale ſit, neminem latere exiſtimo; ſin autem cum aliis nonnullis ſit præparatum, ægrotos ita ſubinde juvat, ut maxime ſalutiferum ipſis medicamentum eſſe videatur.*

Ratio-

Rationes largo modio diſſeminant opii oſores. Odor adeſt teter, *inſurgunt*, viroſus. Sed falſum eſt, venenata eſſe odore tetro; bene odorata venenis adverſari. Exempla contraria vide apud *Scalig. exerc.* 347. & rationibus: 1. ab odore,

Venena alia necant primis, alia ſecundis, alia tertiis qualitatibus, autore laudato *Scaligero Exerc.* 33. Opium necare poteſt qualitate prima, caliditate nimia, licet olim a frigida manifeſta, ſed tamen violenta & excellenti qualitate id deductum fuerit, *Fernel. l.* 4. *M. M. c.* 5. *p.* 200. Poteſt necare qualitate ſecunda, dum obtundit & incraſſat ſpiritus, poterit tertia, ſudorem movendo adeo fortem, ut ſæpe odorem opii referat, ut ſupra ex *Dioſcoride* & *Ægineta* adductum fuit. 2. qualitatibus noxiis,

℞. Diſtinguendo inter venena *proprie* & *improprie* dicta. Illa peculiari vi cordi ſunt infenſa, vitæ omni impetu, omnibus modis inſidiantur; hæc per accidens, quatenus nimia copia adſumuntur, internecioni hominem dare nonnunquam poſſunt, ut *aqua gelida*, æſtuante corpore aſſumpta, *crocus*, *cantharides*, &c. ℞. diſtinguendo

Nonnulli modeſtiores inter ea venena ſolum referunt, quæ non genere, ſed copia ſeu quantitate nocent. Sed ſi legitimo detur tempore, legitimo modo, nunquam mortem induxiſſe viſum. Sudor ille, odorem opii referens, eſt lenis, blandus, roſcidus.

Opium & venenum eſſe, & malignis illis qualitatibus, quæ utplurimum a medicis ipſis affinguntur verius quam attribuuntur, præditum eſſe, conſtanter negamus, neque adeo terrorum plena eſt opiatorum exhibitio, quod vult *Thomſon. epilogiſm. chim.* 130. unde raro id uſurpandum ſuadet, imo apud ſe pene exoleſcere ſcribit. *p.* 76. & negando;

Experimentis idem probare conantur ſpecialibus. Notabile eſt exemplum a *Tralliano l.* 3. *c.* 5. memoriæ ab experimentis:

V con-

conſignatum, *ἐγὼ γὰρ οἶδα, inquit, τινα μόνῳ τῷ ὀπίῳ χρησάμενον καὶ ἄφωνον, καὶ ἀναίσθητον ποιήσαντα τὸν κάμνοντα, ὡς μηκέτι μηδὲ ὀποβαλσάμου, μηδὲ ἄλλων τινῶν ἐμβληθέντων θερμῶν ἀναστῆσαι δυνηθῆναι τὸν ἄνθρωπον. Ego enim novi quendam ſolo uſum opio, & vocem & ſenſum ægro ademiſſe, ut ne opobalſamo quidem, aut aliis quibusdam calidis injectis, homo amplius reſtitui potuerit.*

2. Dionyſius filius ante diem patrios inquirens in annos, cum pater ipſius morbo graviter conflictaretur, ipſi ſoporem medicos dare coegit. Hoc æger ſumpto, ſomno ſopitus, diem obiit ſupremum. Vid. *Corn. Nepos in Dione.* Nihil hoc aliud fuit, quam opium.

3. Licinius Cæcinnæ pater ſe interfecit opio, cum valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet, obſervante *Plinio N. H. l.* 20. *c.* 18. ubi addit, calorem nativum opprimere & extinguere.

4. *Cardanus l.* 18. *de ſubtilit. p.* 930. recenſet hiſtoriam Patavini cujusdam, qui cum victor in certamine equeſtri extitiſſet, galeamque, quo liberius reſpiraret, depoſuiſſet, ea copioſo intus opio ab æmulis perlita capiti rurſus impoſita (venarum videlicet oſculis calore patentibus receptoque intra penetralia pernicioſo halitu) ſtatim ſuffocatus eſt.

5. Servi Avicennæ, cum ob comminationes, quod non recte in ſuis rebus ſe geſſiſſent, odio ipſum proſequerentur, ut mortem ipſius procurarent, mithridaticæ confectioni, quam pro ſymptomatibus epilepticis adſumere vellet, clam notabilem quantitatem opii admiſcuerunt, quod legitur in vita ejusdem, operibus eius præfixa.

6. Opium pro apio exhibitum notat *Salmuth. cent.* 1. *obſ.* 90. *p.* 105. idemque error pernicioſus notatus eſt a *Rhodio in compoſ.* 126. *Scribonii Largi p.* 200.

Opium pro apio.

Plura exempla lethalitatis ex opio apud *Foreſtum obſ.*

obſ. 47. *l.* 28. *p.* 698. & *l.* 30. *obſ.* 10. *p.* 34. ubi ex variis autoribus varia ex opii uſu producta incommoda congeſſit; *Hildan. de gangræn. & ſphacel. c.* 24. *p.* 826. & alios videri queunt.

℞. abuſum non tollere uſum.

Sed ut data non apto tempore vina nocent, ſic & opium. Idem valet de *croco*, & aliis. Dicendum cum *Bontio loco ſupr. cit. in not. Garc. p.* 9. Profecto inſignis eſt oſcitantia iſta, quæ in abuſum medicamenti ac minus bene præparati dicuntur, in uſum nobiliſſimi inter omnia pharmaca velle referre; ſine fundamento ſæpe, ac in ſcholis ſine experientia. Similia repetit *meth. med. Indic. c.* 2.

Muliebris objectio

Venenum eſſe, communis eſt muliercularum conſenſus. Morietur, dicunt, quia opium accepit. Viaticum erit ad mortem.

non attendenda.

Sed vanus timor muliebris cordatum non terret medicum, ex lege artis & methodi medendi opiata præſcribentem.

Noxa in collectione opii

Memoriæ proditum eſt a *Plutarcho in ſympoſ. l.* 3. *quæſt.* 1. *p. m.* 648. ſolo halitu & odoris effluvio aliquando concidiſſe, & ſubverſos eſſe, qui id incautius colligerent. Verba ſunt: τὸ τῆς μήκωνος ἀποῤῥέον πνεῦμα μὴ φυλαξαμένοις τοῖς τὸν ὀπὸν τρυγῶσι, συνέβη καταπεσεῖν, *ſpiritus a papavere defluens non caute obſervantibus iis, qui ſuccum colligunt, ſubvertit homines.* Si ſolum effluvium id præſtat, ſolus odor, quid fiet eo aſſumpto?

tanti non eſt;

℞ Obſervarunt botanici, in collectione baccarum paridis ſtuporem ſæpe quendam tentaſſe rhizotomos, nemo tamen venenatam in illis agnoſcit vim.

nec ſiniſtri eventus a minus caute porrecto

Præterquam, quod *excretiones urinæ & fecum ſupprimant*, licet magis animalibus quam naturalibus actionibus officere dicantur, *malignitatis opiata* accuſantur a *quibusdam*, qua livorem artuum, frigidos ſudores, reſpirationem parvam & difficilem, mentis alienationem inducant. Por-

 recta.

recta minus caute caput valde replent, nervos reſolvunt, ſenſum & motum adimunt, & ſæpe χάλκεον τὸν ὕπνον inducunt.

contingentes

Sapphica illa adſumenti contingunt: φωνῆς ἐπίσχεσις, ἐρύθημα πυρῶδες, ὄψεων ὑποδείξεις, ἱδρῶτες ὀξεῖς, ἀταξία καὶ θόρυβος ἐν τοῖς σφυγμοῖς, τέλος δὲ, τῆς ψυχῆς κατὰ κράτος ἡττωμένης ἀπορία καὶ θάμβος, καὶ ὠχρίασις. *Vocis ſuppreſſio, rubor igneus, oculorum ſignificationes, ſudores acres, incompoſitus & turbulentus motus in pulſibus; tandem vero, cum animus magnis viribus expugnatur, hæſitatio & ſtupor & expalleſcentia.*

peritos terrent.

℞ Imperitia hominum ſæpe efficit, ut multæ herbæ immodice ſumptæ noceant, quæ tamen ſuum in medicina exhibent commodum, quod exemplo *doronici, ſolani, croci, cicutæ, aconiti, hyoſcyami, colocynthidis, hellebori utriusque* patet.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Nos, ait *Bellonius l. c.* opium experti ſumus, verum nullum ſymptoma animadvertimus, niſi quod excalefaceret pectus, & nonnihil turbaret caput & inſomnia pareret.

Neque aquæ hypnoticæ, licet tutiores,

Tutius, *alii inquiunt*, eſſe uti aquis hypnoticis ex refrigerantibus & humectantibus compoſitis, quam aliis formulis, quas opium ingreditur. Nam licet hæ citius, ac illæ, ſomnum inducant, tamen non citra periculum gravioris mali eas propinari poſſe, ob opii & ſimilium venenoſam, malignam, & nimis ſoporiferam qualitatem. Modum, quo agat, dicunt eſſe ſomnum altum & lethalem. Vid. *Dorncrell. diſpenſat. p. 6. Willis de febb. cap.* 12.*p.* 216.

efficaciores ſunt ſine acceſſu opii.

℞ Tuto quidem, cito & jucunde curandum eſt; exempla tamen dantur quamplurima, ubi aquæ iſtiusmodi nil proficiunt. Ad heroica hæc tunc confugiendum, tanquam ad ſacram anchoram. Neque minus tuto opiata adhibentur, ceu ex infinitis practicorum accuratiorum claret obſervationibus, quam aquæ iſtæ ſoporiferæ.

Adul-

Adulterium multi accuſant. Opium, vel potius meconium, ait *Plantius comm. in l. 7. M. M. Fernel.* quod ad nos convehitur, adulteratum plane eſt, & occulta quadam vi nobis infenſum, ideoque minime eo utendum, quacunque id arte corrigatur. Inſtitores, qui compendium & lucrum quærunt, opium adulterant, aut pro eo meconium ex Apulia vel Hiſpania comportant. Adulterii accuſatum opium.

Quomodo in Natolia compacto dimidium a mercatoribus addatur, dictum jam ſupra fuit ex *Bellonio*.

℞ Notæ Electionis obſervandæ. Afferatur opium ex Apulia vel Hiſpania. Eodem modo confieri & ibi poteſt, quo in Turcia. Seligendum eſt & probandum

Specioſum argumentum eſt eorum, qui palliativam ſolum præbere curam, nec tollere morbi cauſam objiciunt. Nec remedia doloris, ſed impedimenta ſunt. Omnia illa ad exiguum momentum proſunt. Ego autem illum malo deſinere, quam decipi, ut verbis utamur *Senecæ l. de conſol. ad Helv.* Palliativum medicamentum.

Sed reſpondemus cum *Galeno l. 10. Meth. med. c. 10.* ſatius eſſe ſymptomatibus occurrendo ad cauſæ continentis ablationem roborare naturam, quam cum morbo ægrum de medio tollere. Non ſolis oberrandum eſt opiatis, ſtultum tamen eſt, ſemper cauſæ ablationi ipſius morbi intentum eſſe, neglecto urgentiori ſymptomate. Qui poteſt natura ſub hoc onere ſe liberare a cauſa? Redit ſæpe dolor, redit excretio, ſimul ac evanuit medicamenti vis, interim vero natura inducias haſce arripit, confortatur, & promptius dehinc contra cauſam ipſam inſurgit. Quin nec ſymptomatibus ſolis tollendis proſunt opiata, ſæpe cauſam ſimul tollunt, per ſupra dicta. non ſimpliciter eſt opium,

Concludimus verbis *Plateri Tom. II. prax. c. 13. p. 547.* Si dextre opiatis utamur, ea minime lædere, ſed dolores com- nec dextre uſurpatum ullatenus nocet,

componendo, ſomnum inducendo, viresque ſic conſervando magnum ægro ſolatium, utilitatemque, medico vero ob id exiſtimationem afferre. Hic ipſe *Platerus*, referente id nobis *Rolfincio*, dixit aliquando, ſe poſſe ſuo opio in vita ſervare rota confractum, ex quo magna ejusdem patet confidentia. Interrogatus vero quomodo opium præpararet, reſpondit, in caſtaneam incluſum, procul dubio leni calore illud hoc modo maturando & corrigendo, qui ipſe etiam modus ſuperioribus addi poteſt.

Caput V.

Vis opii ἀναστομωτική.

Opium aperire orificia vaſorum,

INdicta abire nequit opio adſcripta dica, quod ſit *ἀναστομωτικὸν τῶν φλεβῶν, orificia vaſorum aperiendi vi polleat*, magna ſane, & quæ vel ſola ſatis eſſet, ſuſpectum reddere opium & ex numero medicamentorum exturbare, tanto magis, quia totus orbis medicus contrarium tuetur & credit, opium eſſe κολλητικὸν τῶν φλεβῶν, adeoque ſanguinem ſiſtere, ut mane altero a prægreſſo ipſius uſu viſus fuerit conſiſtere & exitum recuſare ſanguis.

affirmatur ab Hoffmanno, ob mictum cruentum

Bini prodeant incuſatores & teſtes, *Hoffmannus* & *Borellus*, alter medicamento, alter medico infenſus.

Hoffmannus cum diſſeruiſſet de laudani opiati Paracelſi incertitudine, illudque fere adſcripſiſſet non-entibus, experimentum citat, quod cepit. Adactus, *ait*, clamoribus colici cujusdam, dedi gr. ij. (extracti opiati Noribergenſis) in ſir. de chamæmelo, unde nihil lucri mihi præter mictionem cruentam. *l. 2. de medic. officin. c. 169. p. 420.*

a calculo potius, quam ab opio

Sed tantus vir vix auſus eſt ſemel in uſum vocare opium, & malum inde credens effectum ortum abſtinuit, quod

quod ipſe ibidem fatetur. Quin vero ex unico hoc experimento fallaci damnandum opium? Nec una hirundo ver facit, nec unum experimentum conſequentiam. Pluribus opus eſt. Sed nondum hoc ipſo abſolvi poteſt, ſed objici ipſi debet illud ſibi familiare: μὴ παρὰ τοῦτο. Non ortus eſt mictus cruentus ab opio, cujus tertia pars vix ingreſſa eſt dubio procul in grana duo, ſicut ſuperius de laudanis monuimus, ſed quia error haud dubie fuit commiſſus in diagnoſi, ægerque ille non tam laboravit colica vera, quam ſymptomatica, ab abſceſſu vel calculo renum dependente, quo lancinante renum vaſcula læſa ſtillarunt cruorem. Vid. *Rolfincius chim. I.A.F.R. l.* 4. *ſ.* 4. *c.* 7. *p.* 250. & *Simon Pauli quadrip. botan. Claſſ.* 3. *p.* 422.

Mutantur ſæpe & variant circumſtantiæ, unde variare ſimul non nequit medicamentorum effectus. Nec, licet verum hoc fuiſſet a ſolo opio productum ſymptoma, a particulari ad univerſale valet conſequentia, nec experientia ipſa eſt ſingularium, ſed ex pluribus eodem modo & iisdem circumſtantiis præſentibus colligitur.

Diſtinguendum & hic inter effectum univocum & æquivocum, per ſe qui fit, & qui per accidens, cum alias notiſſimum ſit, in mictione cruenta ſedanda apprime convenire opium. Per accidens ortum.

Borellus centur. 4. *obſ.* 57. *p.* 318. annotat, *a laudani opiati nimia doſi venam apertam*, cum enim medicus, (cum quo invidia ipſi interceſſit, qui aſteriſmus eſſe poteſt, quid de ipſius hiſtoriæ judicio ſentiendum ſit,) viro cuidam ſomni conciliandi gratia laudani duplicem dediſſet doſin, immemor ei venam nuperrime ſectam fuiſſe, hinc dum membra languentia & fere inſenſibilia hoc ſomno reddita eſſent, effluxit ſanguis e brachio adeo, ut ejus effluvio nocturno perierit. Borelli experimentum pro effectu eodem citatum.

Sed

vacillat, Sed novum non eſt, ſectam venam vel indecenti poſitu, vel motu intempeſtivo, vel deligatione minus ſolicita, ſæpius recludi, & exire ſanguinem. Si opium reddidit membra languentia & fere inſenſibilia, quomodo invitare potuit ſolum ſanguinem ad exitum? Quomodo potuit fluxiliorem reddere, quem quam maxime concentrat? Certum itaque eſt, culpam hanc minime imputandam eſſe opio; Certum eſt, utrumque hunc recenſitum opii effectum opio fuiſſe accidentarium. Vitium vulgi eſt, ſi dato medicamento novum ingraveſcat ſymptoma, ortum adſcribi medicinæ, culpam redundare in medicum, hunc accuſandum eſſe. Abſolvendum omnino ab hoc crimine opium, & illud Pindaricum ingeminandum: μέμνασο ἀπιςεῖν.

LIBRI II. SECTIO IV.

CAPUT UNICUM.

An opium ſit maslach Turcarum, diſquirit.

Maslagæ, Turcarum DEcantatiſſimum apud Barbaros medicamentum eſt *MASLACH*, atris tamen dubitationum nebulis involutum, ſive nominis ipſius originationem ſpectes, ſive rei.

familiaris medicamenti, Quis non inaudiit Turcas ad prælia ſe armantes, quos Hungari etiam non raro imitantur, præbibere Maslach, ut forti animo præſentibusque viribus ſeſe opponant hoſtilibus armis? Periculorum & timoris hæc antidotus, audaciæ ſtimulus, fortitudinis incitamentum, quin philtrum quaſi cladium & cædium ipſis habetur. Quotusquisque vero eſt, qui quid ſit, quod aſſumant, calleat?

Utut vero latius hæc omnia explanari poſtulent, & in apri-

apricum ſiſti, breviter tamen ea ſolum libabimus, tum quod huius loci id non ſit, niſi quantum ad opium pertinet, tum præcipue, quod id operis ſibi ſumpſerit feliciori auſpicio *Excellentiſſimus D. D. Fogelius*, cujus opus *de Turcarum Nepenthe* propediem expectamus, in quo, uti & coram ante biennium & per literas nobiſcum humaniſſime communicavit, primo Teſtimoniis fide dignis oſtendit, non unum eſſe medicamentum, quod Maslag dicatur, deinde ſingulorum Euphroſynorum Turcis uſitatorum hiſtoriam ſubjungit. Tum conatur in operationum cauſas inquirere, & denique vocis Maslag originem a ſe excogitatam aſſerit.

Plures equidem novimus hinc inde proferri derivationes, prout cuique id viſum fuit, ſed vix eæ ſatisfaciunt deſiderio, cum ipſa varietate & copia a veritate remotius ſcopum aſſequi videantur. Etymologia dubia,

Hebraicam eſſe plurimis placuit, hinc juxta *Oberndorffer. in apolog. chimico med. p.*71. derivatur a שלח *erravit*, *ignoravit*, *oblitus eſt*, quod inducat curarum & præſentium imminentiumve periculorum oblivionem, licet obliviſcendi, ignorandive ſignificatum minus habeat. Et poſſet quis hoc pacto potius juxta magis uſitatam notionem in Kal exponere, *tranquillus fuit*, *quievit*. pluribus Hebraica

Alias a שלח quaſi *Maschlach, res ad quam manus extenditur*, *quæ ſolet eſſe ad manum*, *in promptu*, & ſic ſcribitur expreſſe *Wiero l.* 3. *de præſtig. dœm. c.* 17. *p.* 279.

Thurnheuſerus, cujus in orientalibus linguis peritia ex variis ejus ſcriptis nota eſt, *herbar. l.*1. *cap.* 29. *p.* 117. derivat a מרזק, vel Chald. מריא. Cui conſentiens exquiſitus ſatis Philologus affirmat dici quaſi מרזק a זקק *fudit*, *liquavit*, & מר *amarus*, & ſic eſſet *amara liquatio*, *liquor amarus*, cum quo convenit dictum מריא ex eadem radice, amaror. (א pro ה Chaldæorum more.)

X Aliis

Aliis dictum creditur quaſi מצליח *proſperans, utilitatem afferens.* Verum hæc omnia alluſiones quidem ſunt, quæ ad opium in ſpecie, vel maslach applicari queant, ſed tamen rem non exhauriunt, quod partim literarum diſconvenientia, partim alia evincunt, vnde nec *Magnifico Polyhiſtori LVDOLFO,* nec *Excellentiſſimo Friſchmuthio* noſtris, nec aliis *Rabbinis* hæc arrident, qui omnes unanimiter ſtatuunt, ſatius eſſe nullam adducere derivationem, quam minus convenientem.

vix Turcica vel Arabica,

Ut-ut autem Maslac vox Turcis notiſſima ſit, vix tamen Turcicam eſſe, neque Arabicam, neque Indicam a *Pl. Reverendo & Excellentiſſimo Dn. Andrea Mullero,* Theologo & Philologo celeberrimo didicimus, cuius hac in parte autoritatem maxime veneramur.

probabilius Hungarica, habetur.

Ungaricam eſſe perſvadere poſſet, quod, cum neceſſe ſit inde nomina derivare & accerſere, unde res ipſæ ducunt originem, illis priores, Turcica lingua licet non habeat id ex ſe, non pauca tamen habet Ungarica, unde vir celebris, quem prælaudatum *Dn. D. Fogelium* eſſe credimus, cujus pace etiam hæc recenſere liceat, ad eundem *Dn. Mullerum,* Maslag derivat a *Maſolom* ſeu *Maſalom,* altero, immuto, q. d. *alterativum,* ſcilicet medicamentum, quia totum hominem immutat; ceu illa analogia in aliis etiam Hungaricis pateat, ut ab orvoslom, *medeor,* fit orvoſſag, medicamentum, tanuloc *diſco,* tanuſſag *doctrina* &c. Sed licet ex hac analogia Maſſag dicendum eſſe videatur, non obſtat tamen, quin, donec meliora luci exponantur, hanc præ aliis eligere queamus radicem, præcipue cum diverſimode *Mazlach, Maslac, Matslag &c.* ſcriptum extet, &, niſi id typothetæ vitio factum fuit, apud *Hœchſteterum,* forſan & alios, *decad.* 3. *obſ.* 1. *p.* 197. Maſſac orientalium dicatur. Et teſtati nobis ſunt Ungari illam derivationem linguæ ipſorum non eſſe alienam.

Turcis

Turcis ſcribitur مسلاك.

Quoad rem ipſam, tres autorum claſſes ſtatui queunt, una, quæ ſtatuit maslach ipſummet eſſe opium; altera, alia & quidem varia pro eodem venditans. Tertia vero, quæ priorem ſententiam conciliat. Diverſæ de ipſa opiniones:

Licet enim *Nonnulli* dubii de exiſtentia Mazlach, cauſam tam furioſi animi in bello Turcarum eſſe velint capitalem pœnam, qua ad pugnandum incitantur, vel prædeſtinationem impiam, qua occœcati nullum timent periculum, certi ſcilicet de evaſione, ſi Diis placet, ſin minus, prædeſtinati ad interitum, vid. *Hœfer. Herc. med. p. m.* 48. præcipue cum feratur, *Bucretio* apud *Sennert. l.* 1. *Prax. part.* 2. *c.* 6. *p.* 326. referente, graviſſime prohibitum eſſe apud eo dem, ne quis prælium acceſſurus quicquam earum rerum vel deguſtet, quæ mentem quocunque modo turbare queunt, illud ipſum tamen Maslach apud ipſos & in bello & extra id uſitatum eſſe vix licet contra experientiam negare. Alii furorem Turcicum aliunde derivant;

Scaliger. exerc. 154. de Turcarum Aſſeral hoc ſibi compertum ſcribit; prælium inituros ex eo vorare aliquantum, quo alacres & periculorum evadant contemtores. Paulo poſt: Turcarum quatuor ſunt religiones, Quarum una dicitur, Derviſi. In conventibus annuis poſt cerimonias & epulum eſitant Aſſeral: quo in lætitiam, atque exultationem conjiciuntur. Apud alios autores invenio, non Aſſeral, ſed Matslach. Inclinat eſſe opium. Vide etiam *exerc.* 175. *ſ.* 1. Opium eſſe ſtatuunt Scaliger,

Idem atteſtatur *Verulamius Hiſtor. vit. & mort. p.* 223. Turcæ, *inquit*, opium experiuntur, etiam in bona quantitate, innoxium, & confortativum: adeo, ut etiam ante prælia, ad fortitudinem illud ſumant; & *p.* 236. Sic & pulvis pyrius perhibetur epotus conducere ad fortitu- Verulamius,

dinem & uſurpari a nautis ſæpenumero, & militibus ante prælia, quemadmodum a Turcis opium.

Sennertus, Unde & *Sennertus l. c.* concludit, etſi vox Maslach non omnibus nota, nec ubique obvia ſit; tamen medicamentum, quod eo nomine circumfertur, ex opio eſſe.

Febure, *Febure* his pollicem premens Maslac ſcribit opium eſſe optimum & per incifionem paratum. Non poteſt haberi, *ait*, niſi raro admodum & magnis ſumptibus verum Maslac Turcarum, quod odoris eſt gravis & ingrati, coloris flaveſcentis, inſtar flavo-ruffeſcentium pilorum leoninorum, valde amarum, acre, os & linguam incendens, ut uri videantur. *Traitte de la chimie l.* 2. *ſ.* 8. *p.* 624.

ob familiariorem uſum in & extra bellum, Facit huc, quod conſtat, experientia illorum, qui apud Turcas vixerunt, rationemque vitæ & mores eorum perviderunt, ipſis in quotidiano uſu opium, & vix aliquid hoc ipſo eſſe familiarius, ut nemo adeo egenus feratur, ſi vel unicum ſolum aſperum habeat reliquum, qui illum non libenter in illud impendat, præſertim vero cum militatum proficiſcuntur. Vid. *Bellon. l.* 3. *c.* 15. *p.* 179. *Eraſtus Diſp. de ſapor. p.* 65. & alii. Quin feruntur uſui huic ita aſſveti, ut abſtinentes aliquando periculum vitæ incurrant, quo de elegantem hiſtoriam extare apud *Chriſtoph. a Caſta* ſupra jam *p.* 51. adduximus. Hinc in proverbium fere abiit, vulgatumque apud ipſos eſt objicere: *opium ediſti*, quod idem eſt, ac ſi aliquis apud nos dicat: temulentus es. Et bellum geſturus Turcarum Imperator, dum militum delectum facit, tota provincia opio quaſi ſpoliatur, ut teſtantur ſcriptores rerum Turcicarum varii.

& experientiam, Accedit & experientia, quam *Febure & Sennertus citati* allegant, quod illi qui Maslach in Turcia emant, nihil aliud quam opium monſtrent.

An

An vero in opio conſiſtant ſeu reſideant vires animum confortandi, ſeu robur addendi, non immerito hac occaſione hic memorandum eſt. Si calidum noſtrum innatum de ♀e participat, & ab opio huic aliqua energia accedere poteſt, ſane, vix negari id poterit. Liceat nobis ſtatuere, nullum dari calidum innatum, nullum humidum primigenium, quam ♀ & ☿ ſanguinis, quorum activitas calorem & vitam conſervat; diſſolutio, frigus obitumque infert. ratione fundatam,

Sereniſſima perſona ſæpiſſime, cum ſeria aliqua & magni momenti negotia obeunda ipſi eſſent, præſumebat maximo cum uſu & fructu opium, & ſic omnes ſenſus dehinc alacres & melius diſpoſitos, viresque oneri ferendo magis pares inveniebat. Adeoque revera dum ſpirituum diffluentiam ſeu diſſipationem impedit & concentrat, ſuoque ♀e reſolubili eosdem mactat, opium ad augendum animi robur multum conferre vero eſt ſimillimum. opium animum reddere, & aliorum,

De offio ſeu opio idem hoc affirmant rerum indicarum ſcriptores, quod ad mortem deſtinati ſoleant hoc ſumere prius, quam adeant ſupplicium, idque ea præditum eſſe virtute, ut homines quaſi ebrios reddat, & tantam conciliet audaciam, ut unus non dubitet viginti aliis ſe opponere. Vid. *Georg. Andreæ Itinerar. l.* 1. *c.* 9. *p.* 12. & Indorum experimento,

Alii vero ſecluſo opio aliter ſentiunt, vel ſaltim præter id aliis quoque Turcas uti. Sic *Oberndorffer l. c.* longe aliud id eſſe neceſſum ait, quam opium, quod Turcas ad pugnam faciat alacriores, ut tanquam ebrii vel amentes ad pericula quævis minus formiduloſe ſubeunda, ſeſe præcipitent, inque medio hoſtium agmine, ut viros ſtrenuos decet, ſeſe animoſe præſtent. Et *Camerarius Oper. ſubciſ. l.* 1. *c.* 93. *p.* 437. ſcribit Turcos *præter opium* alio pulvere uti, qui ſit Maslach &c. &c. Sic & *Thomas Erneſtus diſput.* Alii vel negant hoc, præter opium alia nominant:

 de

de narcot. nominat *pulverem*, quem vorent Turcæ prælium innituri, & fieri, quod nonnullis viſum ſit, ex *ſtrychno manico*, cujus & *Scaliger. l. c.* ex ſententia aliorum meminit. Hoc ipſum vero ſolanum ſtatuitur fœtidum pomo ſpinoſo, ſemine nigro Bauhini, unde & *C. Hoffmannus M. O. l.* 2. *c.* 169. §. 22. ſtatuit eſſe ſemen ſtrammoniæ vulgaris, quæ Tatula vel Datura Turcarum ſit, allegans ibidem & aliorum ſententias.

Daturam,

Thurnheuſerus l. c. p. 120. ſingularem ſibi & ſecretam de præparatione Matzlach vendicat ſcientiam, ſtatuens ex *cervaria*, certis temporibus, certo aſtrorum influxu, illud parari in monte Traconithide a ſacrificulis, ſemel tantum quibuslibet duodecim annis. Aſſerit ſingulariter commendari ad *paralyſin*, excitare iram & furorem in homine, ut mortis timore omni abiecto, crudelis neque hominum neque brutorum capiatur commiſeratione.

cervariam,

Quidam, quo nomine *Hoffmannus l. c.* citat, ſed falſo, Bellonium, inclinant in *rutam ſylveſtrem* ſeu *Harmalam* dictam, cujus ſemine Turcæ palam veſcantur.

rutam ſylveſtrem,

Philipp. Harsdœrferus Theatr. rerum amœnar. cent. 2. *p.* 38. tria genera Maslach facit: quod fortes, 2. quod audaces, 3. quod furioſos reddat. Compoſitum item eſſe affirmat, & in collectione herbarum & radicum furioſas geſticulationes adhiberi. Refert etiam ſtatui præcipuum ingrediens *radicem filicis* ♀ *extractam*, miſtam cum *ſucco mandragoræ*.

extractum filicis & ſuccum mandragoræ,

Nolumus conquirere huc plura teſtimonia, brevibus jam, quid ſtatuendum ſit probabilius, delibaturi, cum quot capita, tot reperias ſententias, ut quo plures conſulueris autores, eo evadas incertior, niſi medium quoddam inveniatur, quo conciliari inter ſe poſſint.

aliaque.

Certior enim eſt iſtorum opinio, qui Turcas opio familia-

miliariter uti, &, ut Maslach quoque dicatur, nil vetare ſtatuunt, ſed illud ſolum, excluſis reliquis omnibus, non pro eodem habendum, adeoque

1. Indi Beng (quod alias etiam Meng Arabibus dicitur) Bengi & Bangue بنكى vocant, quod Turcæ Maslac.

Bangue indorum;

2. Maslach non notat unam certam rem, plantam vel medicamentum.

Maslach latior vox notat plura,

3. Non certam formulam remedii, externam ſcilicet, ut pulverem v. g. præciſe, aut electuarium, vel vice verſa ſignificet.

4. Notat vero unum finem habentia & herbas lymphaticas, ſeu ea omnia potius ex iis parata, quæ affinitatem inter ſe aliquam habent ratione virtutis ſeu effectus, idque ſaltim & ad minimum a noſtratibus, ut ſicut juleb ſeu julapium in genere, recepto apud medicos more, notat medicamentum confortativum, ſic etiam Maslach, omne id quod alacritatem, hilaritatem conciliat, curas expungit &c. An vero Turcæ, ut verbis utamur *laudatiſſ. Dn. Mülleri*, cæterique orientales, Botanici maxime & pharmaciæ peritiores idem faciant, non æque certum eſt,

inter ſe convenientia tamen, εὐφρόσυνα,

5. Beng tamen magis ad plantarum ſeminumque catalogum referendum eſt; Maslac vero ad eorum, quæ e Beng parantur ſive pulverum, ſive electuariorum.

maxime præparata,

Præcipue tamen præter opium in uſu eſt pulvis uſualis, ſub Maslach, ſeu Maslagæ nomine veniens, quæ nihil aliud eſt, quam pulvis herbæ cujusdam, *Asrar* Turcis dictæ, hoc eſt *cannabis*, ut curſor Turcicus *Nobiliſſimo D. D. Jungio noſtro* retulit, ceu pleroſque etiam rogatos, quidnam ſit Heiram luc (quod nomen huic medicamento in ſpecie, ceu Maſchlach opio tribuit) *Wierus* idem reſpondiſſe refert *l. c.*

ſtrictius notat medicamentum,

Dubium jam emergit, utrum quæ ad id recipitur cannabis

nabis ſit vulgaris notitiæ, ſive ſativa, ſeu erratica, an alia ſpecies, ſeu cannabi ſimilis exotica, *Bangue Gartiæ*, & *Acoſtæ*, cujus & folia cum cannabe conveniunt, & cortex in fila etiam deduci poteſt.

ex Bangue cannabi ſimili,

non cannabe vulgari,

Vulgaris quidem, præſertim largius ſumpta, caput ferit & gravat, quod ipſius *Galeni* eſt teſtimonium *l.* 1. *de alim. facult. c.* 41. & ob halituoſa 🜍ea effluvia ſomnia turbulenta efficit, ſed venereos ſtimulos reprimit, ac *Dioſcoridis* elogio, extinguit, & quoad ſemen bilioſi ſanguinis & ſeri acrimoniam coërcet, qua de cauſa in emulſionibus ad gonorrhœam in uſum venit, qualis eſt *cannabina emulſio Mynſichthi*, aliaque id generis, vel in juſculis aſſumitur idem, ceu id apud plebejos alicubi uſitatum eſt. Illa vero Turcarum inſtar vini ebrietatem inducit, ac venerem ſtimulat.

paratum, quæ Asrar audit Turcis,

Hinc alteri jure merito deferenda eſt palma, quam ſub titulo; *Bangue cannabi ſimile* deſcribit *Bauhinus l.* 30. *hiſtor. plantar. univerſal. c.* 71. *p.* 449. Quod etiam confirmat *Acoſta*, dum plantam hanc Turcis *Asrar*, cum quo *Aſſeral Scaligeri* & *Aſarath Cluſii* coincidit, plurimarum vero aliarum regionum incolis *Bange* vocari ſcribit; Imo *Cluſius not. ad Acoſtam cap.* 54. *pag.* 290. Bangue hoc plurimam affinitatem habere cum Turcarum Conſtantinopoli degentium Maslac tradit. Sunt tamen, qui medicamentum dictum volunt أسرار q. d. Arcana, eo quod magnifiat tam ab Aſcetis Turcicis, quam Jeniczariis.

Præparandi modus.

Ejusdem vero præparandi ac ſumendi modum ex Turcis Viennæ commorantibus per interpretem Cæſareum didicit, & nobiſcum per literas humaniſſime communicavit prælaudatus Excellentiſſimus Collega noſter *D. D. Jungius* talem; Accipiunt, verba ejus ſunt, herbam illam

Aſrar,

Atrar (eligunt autem maximique æſtimant eam, quæ unicum tantum habet ſtolonem, nec in alas aut ramuſculos laterales dividitur) hanc ollæ figulinæ, in qua butyrum aſſervabatur, immittunt, ollamque repletam poſt panis extractionem furno imponunt, exſiccatamque hac ratione herbam in pulverem redigunt: Dum vero hilares eſſe volunt, pulvere hoc vini loco utuntur.

in pulverem,

Porrigunt autem incipienti prima vice quantum cultri cuſpide capere poſſunt, aſcendendo dein ad quatuor, ſex, octo cuſpides, etiam ultra, quem pulverem ita ſiccum deglutiunt, ſerbet aut alia dulcia deſuper bibendo, vel eundem pulverem cum melle in electuarii formam redactum devorant, quod بنكيلق Bengilik (quod compoſitioni nomen eſt) vocant: Unde & *Olearius Itineris Perſici l.* 5. *cap.* 8. *p.* 594. ait, apud Perſas ſemen & folia cannabis ad venerem exhiberi ſub nomine Bengi, hinc & illos, qui illud devorant, Kidibengi vocari, ubi & parandi modum paulo aliter deſcribit.

doſi maiori vel minori ſumendum, vel electuarium, Bengilik, cujus

Effectus illius ſicuti vini pro temperamenti & ſanguinis diverſitate varii ſunt: Alios enim reddit hilares, cantantes, ſalientes, ridentes, petulantes ac venereos: alios iracundos, litigantes, audaces, pugnaces, furioſos ac inſanos: alios taciturnos, triſtes, melancholicos, imaginarios, lacrymantes, languidos & ſomnnolentos &c.

effectus variant.

Solent etiam, concludit, frequenter uti opio, ſed hoc eſſe quaſi inſtar veneni, hominesque inde maxime lædi ac enervari, ipſi Turcæ fatentur, adeoque prius tutius adhiberi. Miſit *idem* Maslach, ſeu modo dictum pulverem ad nos, qui ut ovum ovo ſimilis eſt ipſi illi, quem Hamburgi in Bibliotheca publica, benevolentia ſæpe laudati *D. D. Fogelii*, Conſtantinopoli ad *D. Schlegelium* miſſum vidimus.

Dubium de hyoſcyamo diluitur.

Unicum adhuc illud dubium reſtat, quod Beng, ſeu Bengi & Bangue, (eædem enim ſunt literæ, quibus utrumque in oriente ſcribitur) per Arabum, Coptitarum & Avicennæ lexica ſit hyoſcyamus, niſi dicamus hanc ipſam vocem hyoſcyamum quidem notare, ſimul vero & huic plantæ competere, vel ab aliis ad hyoſcyami ſpecies, ob effectum congenerem, illam ipſam plantam relatam, ut a ſimilitudine extrinſeca cannabi, ab effectu vero & virtute hyoſcyamo magis conveniat.

Maslag minoris & majoris apparatus.

Maslaga hæc, ſive opium ſive Bangue pro baſi agnoſcat, duplicis generis eſt, vel *minoris* vel *majoris apparatus*.

Prioris exemplum eſt opium crudum, pulvis Aſerath crudus, vel electuarium ſimplex. Poſterioris varia extant, quæ cum philonio officinarum, Perſico, & Romano conveniunt, quæ quidem vulgo nota ſunt, de quatuor tamen Maslagi e Bengo generibus videri poteſt *Paludanus ad Linſchotanum Ind. or. l.* 4. *c.* 35. Ita addunt arecam, opium, camphoram, caryophyllos, nucem moſchatam & macim; Imo ſi hilares eſſe volunt & faceti, & præſertim in venerem procliviores, ambram quoque & moſchum. Vid. *Bauhin. l. c. p.* 450.

Sed tum de compoſitione ipſa, tum de uſu & abuſu pluribus differet *D. D Fogelius*, quo Lectoris cupidi deſiderium differemus, non aliter ac Socrates apud *Xenophontem l. de admin. domeſt. pag.* 651. Si quis, *ait*, ignis vel aquæ petendæ ad me veniat cauſa, atque illis quidem carerem, alio tamen ducerem, unde petere poſſet.

CAPI-

CAPITVLVM IN HAC OPIOLOGIA
INDEX.

PROOEMIVM. pag. 1.

LIBER PRIMVS, SECTIO PRIMA.

CAPVT I. Opii onomatologiam deſcribit. 3
II. πραγματολογίαν tractat. 10
III. Opii originem & patriam delineat. 12
IV. de notis & electione opii. 18
V. Temperamentum opii, & 1. an ſit frigidum, indagat. 22
VI. 2. an calidum ſit, diſputat. 26
VII. Aliorum ſententiæ recenſentur. 30
VIII. de occultis opii qualitatibus. 31
IX. Chimica elementa recludit. 32
X. Epicriſis generalis dictorum. 33
XI. de modo agendi opii ſpecialius inquiritur. 35
XII. de Sulphure opii narcotico. 41

SECTIO SECVNDA.

CAPVT I. de correctione opii. 49
II. de præparatione & correctione opii per evaporationem. 53
III. Menſtrua extrahendi opii, & primo ſalina. 56
IV. Alterum extrahendi opii menſtruum, Sulphureum. 61
V. Tertium pro extrahendo opio menſtruum, aqueum. 63

VI. Medicamenta ex opio interna in forma media & ſolida. 65
VII. Opiata in forma ſolida alia. 71
VIII. Medicamenta opiata in forma liquida. 73
IX. Præbium opii. 75

LIBER SECVNDVS, SECTIO PRIMA.

CAPVT I. Uſus opiatorum generalis in ſiſtendis doloribus. 80
II. Uſus opii contra vigilias. 84
III. Uſus opii in ſiſtendis fluxionibus. 88
IV. Opium ſudores movet. 89
V. Vis opii καθαρτική. 91

SECTIO SECVNDA.

CAPVT I. Uſus opii ſpecialis ἀντιπυρετικός. 94
II. Uſus opii in affectibus capitis. 102
III. In affectibus thoracis opium commendat. 108
IV. In morbis infimi ventris, & quidem ventriculi & hypochondriorum, quid opium poſſit, explanat. 114
V. Opii uſus in inteſtinorum Symptomatibus. 118
VI. Effectus opii in affectibus renum & articulorum. 125
VII. de uſu opii hyſterico & aphrodiſiaco. 127
VIII. Uſus opii in gangræna & ſphacelo. 129
IX. Vehicula opiatorum. 131

SECTIO TERTIA.

CAPVT I. Uſus opiatorum externus. 131
II. Uſus opii in clyſteribus & ſuppoſitoriis. 138
III. Cautelæ circa opiatorum uſum. 141
IV. Invectivæ in opium deciduntur. 151
V. Vis opii ἀναςοματική. 158

SECTIO QVARTA.

CAP. VNIC. An opium ſit maslach Turcarum, inquirit. 160

IN-

INDEX SECVNDVS
RERVM ET VERBORVM.

A.

ABſceſſus pectoris diarrhœa purulenta ſolutus 112
Acida promovere fermentationem 25
obtundere ſulphur 52
ſoporis remedia ibid.
Acetum antidotum hyoſcyami 59
opii ibid.
Acrimoniæ humorum remedium 72.75.81.82.89
Actuationem medicamentorum a natura ſæpe, prout ſibi convenit, diſpenſari 145
Affectus animi impedire vim opii 86
ſoporoſi 43. 46. 62
Africanos & Aſiaticos opio non poſſe ſine vitæ diſcrimine carere 77
opium magnis præbiis ſumere 77.79
Aloen ſpiritu vini perperam extrahi 65
Aloeticæ pilulæ vid. Pil.
Alvi fluxus in variolis & morbillis ut præcaveatur 102
Alvus ex opii uſu obſtructa ut ſolvatur 52. 53
Amara an calida ſint 27.28.29.30
Amarus ſapor unde 42
Amentes difficulter ſopiri opiatis 104
Amentiam narcoticis augeri ibid.
eſſe ſomnium vigilans ibid.
Ammoniacum gummi per clyſterem infuſum mortem attuliſſe 139
ſal cephalicum 47.52.105
Amphion Indorum & Turcarum quid 6.128
Anatomiæ vivorum citra diſſipationem humorum factæ 24
Animoſitatis adminiculum opium 28

 Ano-

Anodyna calida 26
qua ratione dicantur, 81
Antimonium crudum antepilepticum 94
totum fere in 🜍 converti poſſe 93
vomitum non movere niſi 🜍re extraverſo 94
Antiſcorbutica volatilia ſæpe noxia 43
Aphrodiſiacum egregium 128. 129
Apio eſſe opus quid, 80
Apoplecticos excitari □oſis 47
Apoplexiam accerſiſſe narcotica 150
Appetitus nimii remedium 116
Aquæne hypnoticæ, quibus cum opio nihil eſt, an potius opiata & tutius ſomni cauſam agant 156
Archeum furentem compeſcere quid, 82
Arthritidi nocere pinguia topica 127
Arthritidis vagæ ſcorbuticæ remedium 73. 83. 126
Arum aceto præparatum miteſcere 95
Aſſeral ſeu Aſrar Turcarum 163. 167. 168
Aſthma debetur ſæpius hypochondriis 111
fieri etiam a fluxili materia poſſe 110
Aſthmatis remedium 87. 110
præcordialis remed. 110
Aurium dolor vid. Dol.

A.

BAlneorum uſus 53
Balſamum ſomniferum 134
Bangue Indorum 167. 168. 170
Benzoini cryſtalli vid. Cryſt.
Bezoardica cum opiatis felicius operari 99
Bulimi remedium 116

C.

CAlcis tectoriæ evaporationem ſtupefacere ac non raro necare 39
Calida frigefacere per accidens poſſe 24
Calidum innatum quid 165
Calculus an opiata admittat, 125
Camphora ſoporis remedium 43. 45. 52. 70
Cannabis vulgaris virtus 168
Capituluvium ad vigilias Melancholicorum 39
Capitis dolor vid. Dol.
Caput roborandi remedium 69
Carbonum vapores inducere ſomnum 39. 44
Cardialgiæ remedium 83. 115

Car-

Carminativa cum opiatis miſcenda 115
Carus ab odoriferis nimiis ortus 39
Caſtoreum opii corrigens 51.70
cur ſomnum non cieat 43.45
ſoporum remedium 52
Catarrhorum acrium, ſalſorum, tenuium, ad pectus labentium, remed. 72.75.89.108
Cautelæ opii adhibendi 141
ratione ætatis 148
applicationis 149
mixtionis ibid.
præbii 150
præparationis ibid.
temperamenti 146
temporis 142
virium ibid.
Cephalicis externis, urgente uſu, addi interdum opium 150
opiatis quis applicationis locus, 133. 150
Cephalalgiæ remedium 103
Chelidonii maj. cryſtalli vid. Cryſt.
Choleræ humidæ remedium 114.115
χυλὸς *quid,* 4
Cibi ingeſti cur citius reficiant, quam in chylum mutari potuerint, 41
Cichorium cur affectionibus calidis medeatur, 29
Clyſteres anodyni 138
Clyſterem anodynum coma intuliſſe 140
Coelites a vigiliis 85
Colicæ an opiata conveniant, 118
bilioſæ remedium 119
Collyrium nonnunquam notare ſuppoſitorium 140
non tuto recipere opium 147
Convulſiones in variolis & morbillis ut præſerventur 101
Cordis affectibus an opium proſit, 113
Criſes non temere turbandas eſſe opiatis 100. 145
Crocum eſſe corrigens opii 52
inducere ſomnum 27.38.44
Cryſtalli benzoes 70
chelidonii majoris 71
cydoniorum ibid.
opii 70
plantaginis 71
Cydoniorum extractum vid. Extract. rob. vid. Rob.

Δάκρυον

D.

Δάκρυον *quid* 4. 11
Deliria in peſte ut auferantur 100
Depuratio optimum ſimplicium corrigens 56
Diacodii laus 18
uſus in vertigine 103
Diaphoretica eſſe calida 27
DiarrhϾ remedium 80. 100. 121
Diptamnus noſtras eligitur præ Cretico 3
Dolorem ſæpe vitæ periculum importare 82
Dolores arthritici in momento ſopiti 83
arthriticos & dyſentericos non niſi repetitis obtundi opiatorum præbiis 84
in malignis ut tollantur 100. 101
Doloribus aurium opium non conferre 147
deberi calefacientia. 26
Dolori calculi oppoſitum opium æternum attuliſſe ſomnum 146
Doloris nephritici remedium 125
Dolorum remedia 80. 81. 82. 83. 100
Galeno quænam fuerint 81
capitis remed. 103. 132
dentium remed. 82. 132. 137. 138
Gallicorum remed. 82
oculorum remed. 148
Doſin minorem tutius repeti, quam ſemel tentari extremam 150
ſummam tutius ſemper caveri *ibid.*
Dyſenteria petechialis 122
Dyſenteriæ an opiata conveniant, 121
remedia 80. 121. 123. 137. 141
Dyſenterici, opio qui uſi fuere, viſi inde necati 121. 123
Dyſentericorum cruciatus ut leniantur 121

E.

Effectus remediorum univocus & æquivocus quid, 24
Electuaria ſeu Opiatas Veterum pleraſque ſuſtinere peccatum pluralitatis 66
Emplaſtrum ſomniferum 135
Endivia cur affectibus calidis medeatur, 29
Epilepſiæ paroxyſmus an opii uſum ferat, 145
ut avertatur 107
remedium 94. 107

Epile-

Epileptica puella bimula nepenthe opiato ſanata 108
Eſſentia carminativa Wedelii 119
♂tis ⊕lata antiſcorbutica Ejusd. 103
opii, ſeu anodyna Ejusdem 74. 75
liquida anodyna Zwelferi 75
Exoticorum remediorum uſus 1. *ſeq.*
Europæos opii tantam doſin nonferre, quantam Africani & Aſiatici 78
Extractum cydoniatum cinamomiſatum 41
cydoniorum opiatum 60
opii 56. 57. 58. 63. 65
candida ardere flamma 21

F.

FAbaria amuletum ad hæmorrhoidum dolorem 124
Febribus continuis malignis an opiata conveniant 97
intermittentibus an opiata proſint 94
Febri maligna laborans, delirans ac tantum non minans convulſiones, ſervatus opiatis 99
Febrium ardentium remed. 73
intermittentium remed. 95
paroxyſmi an opio locum concedant, 145
Fluoris albi remedium 127
Fluß=Artzeneyen 108
Fluxiones in malignis ut inhibeantur 100
Frigida calefacere per accidens poſſe 24
Frigori ſomnum & ſoporoſos affectus cur Veteres adſcripſerint, 36. 37
Frigus ſomniferum 39
Fungorum antidotus 52
Furor uterinus curatus opiatis 128

G.

GAngrænæ remedium 129
Gelu intenſum lethalem inducere ſoporem 39
Genitalium prurientium remed. 137
Gialapa anodyna 38
qua doſi infantibus danda, ibid.
Gummoſa commodius ſolvi & extrahi ▽eis 64. 65
Grumeſcentia ſanguinis 113

H.

HÆmoptyſeos remedium 72. 79

Z *Hæ-*

Hæmorrhagia arteriæ vulneratæ ad miraculum curata magiſterio opii externe applicato 135
a dente avulſo opiatis coercita ibid.
narium externa opii adhibitione ſedata ibid.
Hæmorrhagiarum remedium 89
Hæmorrhoides fluentes cacochymiæ & imperfectæ ſanitatis indicium eſſe 124
medicamento purgante correctæ ibid.
cæcas poſſe degenerare in cancrum ibid.
Hæmorrhoidum cæcarum remedium ibid.
amuletum Wedelianum ibid.
dolentium remed. 123
immodicarum remed. ibid.
Hemicraniæ paroxyſmus an opiata admittat, 145
Humidum radicale quid, 165
Hydrocephalum favere ſomno 36
Hydropicis an opium proſit, 146.147
Hyoſcyami antidotus 59
eſſentiam vel ſuccum commodius e laudano opiato exeſſe 69
probe correctam habere in medicina uſum 68
ſpecies an ſit Bangue 170
Hypercatharſis 52
Hypnotica agere vaporoſitate 40
eſſe frigida 26
Hyſteralgiæ remedium 127
Hyſtericorum affectuum remedium ibid.

I.

ILei remedium 120
Infantes purgantia ferre & vomitoria 38
purgantium majorem doſin admittere, quam adulti 39
Infantibus parcius eſſe & rarius dandum opium 148
Infantum tormina vid. Torm.
vigiliæ vid. Vigil.
Inflammabilia eſſe calida 27
Inquietudo in phrenitide ut quieſcat 102

L.

LAudanum quid. 66.67
unde dicatur, 66
opiatum quid, ibid.
cum caſtoreo & camphora 70

Lauda-

Laudanum excludere, quæ ex hyoſcyamo addi conſveverint 67
liquidum Schrœderi 74
non bene jungi cum moſcho 71
quo ſimplicius, eo perfectius 68. 69
ſolare 70
varie miſceri poſſe 72. 73
varie parari 67
Laudani opiati ſi uſus requiratur, prænoſcenda præparatio 67
Laudano opiato quænam & quo fine addi conſveverint, 68
Libidinis remedium 136
Linimentum nervinum Wedelii 126
Lipothymiæ remedium 113
Lippitudines oculorum opium averſare 147
Liquor cephalicus Wed. 46
Lixivia ſoporum eſſe remedia 52

M.

Magiſterium anodynum Rolfincii 72
Wedelii ibid.
opii ſtricte tale quomodo fiat, 73
Mandragoræ ſuccum purgare, menſes partusque excludere 93
Maniacis an opium conducat, 104. 105. 106
Mania opiatis exaſperata 105. 106
ſopita 106. 107
Maniæ remedia 73. 105. 106. 132
quotuplicia, 106
Maslach Turcarum an ſit cum opio idem, 160
majoris vel minoris apparatus eſſe 170
quid, 165. 166. 167
quomodo præparetur, 168
ſumendi doſis 169
variare in effectu ibid.
Mauritanos opio non poſſe niſi cum vitæ diſcrimine carere 77
Meconium & opium differre 6. 7. 8. 10. 21
paſſum quid, 8
quid, 6. 8.
varia ſignificare 8
Medicamenta ſimplicia domeſtica an præferenda exoticis 1
exotica commode abeſſe non poſſe 3

Medicamenta in ſua ſimplicitate an ſufficiant ad curandos morbos 49
Medicamentum citra ullam noxam magnifice proficuum an poſſit inveniri, ibid.
Melancholica opiatis exaſperata 105. 106
emendata 106. 107
Melancholicis an opium dandum 105
Melancholiæ remed. 73. 105. 106
Menſium immodicorum remedium 127
Menſtrua Chymica quotuplicia 57
Methodicos morbum nonnunquam abegiſſe, ſed acceleraſſe mortem, 150
Mictus cruentus 158
Mithridatium non niſi cum opio ſudorem movere 90
Morbilli an opium admittant, 101
Morientibus an dandum opium 143
Muſti vapores ſtupefacere ac non raro necare 39
Myrrha corrigi opium 52

N.

NArcotica agere qualitate occulta 31. 32
amentiam augere 104
corrigi & obtundi acidis 83
eſſe frigida 23. 26
manifeſtis qualitatibus non pro forma, ſed inſtrumentis uti 34
mortificare quaſi corpora viventium 152
ſomnum dare ſomniaque moleſta 104
Naſturtium cum aceto præparatum miteſcere 59
Nectar anodynum 73
Nepenthes opiatum 66
Nitroſa pleuriticis non adeo prodeſſe 112
Noctem coronare papavere quid, 85

O.

OCulorum dolor vid. Dol.
ulcera vid. Ulc.
Odontalgiæ remedia 82. 132. 137. 138
Odontalgiam melius interne quam externe ferre opiata 148

Odora-

Odorata num adverſentur venenis, 153
eſſe calida 27
Odores unde, 42
Odorifera nimis produxiſſe carum 39
Oleum antifebrile Wedelii 96
Opii 74
Ophthalmiæ non adeo convenire cum opio 148
Opiata aſſumenda ſi ſint, an corpus prius purgandum, 144
bezoardicis addere virtutem 99. 100. 101
calidis potius, quam frigidis competere cum affectibus, tum ſubjectis 146
an citius & tutius agant per inferius, an per ſuperius os ſumpta, 138
clyſteribus immiſceri 139
congelare ſanguinem 23. 24. 145. 158
exiccare corpora 149
febrifugis cur miſceantur 95. 96
phthiſicos laxare 93
vigiliis non quadrare omnibus 86
Opiatæ Veterum quid, 6
Opiatis cur veteres tantum calidorum apparatum addiderint 50
Opiatorum in febribus intermitt. & contin. male adhibitorum noxa 97. 98
Uſus vid. Opii uſus.
vehicula 131
Opii adhibendi cautelæ vid. Caut.
agendi ratio in dolorum mitigatione 81. 82. 87
amaror 20. 31
antidoti 43. 51. 52. 53
electio 19
colligendus 14. 15
tempus 15
copia tanta unde 16
correctio aſſumendi 23
per miſtionem 23. 28. 50. 51. 52
ſolutionem & ſeparationem 56. 87
toſtionem 53. 54. 158
aſſumpti 43. 46. 47. 51. 52. 53. 59
cryſtalli vid. Cryſt.
doſis 75. 150
quotuplex, 75. 76
effectus quidem ſiniſtri 78. 139. 140. 154. 155. 156
eſſentia vid. Eſſ.

Opii extractum vid. Extr.
ad fallendum abuſus 88
locus natalis 15.16.17.18
Magiſterium vid. Mag.
menſtrua 43. 44. 57
acida 57. 59
aquea 63.64.65.
lixiva 58. 60
ſulphurea 61.62
nimis ſumpti exempla funeſta 78
proſpera 78.79
oleum vid. Ol.
præparatio quænam ſit
Beguino, 61
Billichio, ibid.
Boyleo, ibid.
Ettmüllero 58
Glaſero, 63
Glaubero, 59
Helmontio, 59
Horſtio, 58
Langelotto, ibid.
Langio, ibid.
Lindenio, 61
Londinenſibus, ibid.
Muſcagliæ, 63
Platero, 158
Poterio, 61
Sennerto, ibid.
Thomſono, ibid.
Wedelio, 65
Zwelfero, 61
Spiritus vid. ſpir.
ſulphur craſſum & feculentum ſolum narcoſin obtinere 47
duplex 55
narcoticum in quo conſiſtat 43
contra ſulphur narcoticum objectiones 47
ſynonyma 6.7
tinctura vid. Tinct.
uſum familiariſſimum eſſe Turcis 77.164
uſus Galenicus 80
generalis 80. *& ſequ.*
anodynus 80
catharcticus 91.134
in fluxibus ſiſtendis 88
narcoticus 84
ſudoriferus 89
ſpecialis 94
externus 28. 84. 126. 131
internus 94. *& ſequ.*
in affectibus
capitis 192
thoracis 108
ventris infimi 114
antifebrilis 94
vim narcoticam numquid intendant menſtrua ſpirituoſa, 62

Opii ſomniferum donum Creatoris ſpecificum eſſe 87
vis cur citius perſentiſcatur, quam egreſſum ipſummet e ventriculo præſumitur, 41
lethifera unde, 25. 31. 40
narcotica unde, ſecundum Ariſtot. & Gal. 23. 29. 31. 32. 34
chimicos 32. 33. 34. 39. 41. 42. 43. 44. 47. 48
Opio aſſumpto num altero die liceat venam ſecare, 145
deſtitutum Medicum nihil quicquam laude dignum efficere poſſe 151
extinctos ſanguinem præbuiſſe circa cor congelatum 23
Opium acidis male ſolvi 59. 60
adulterari quot modis deprehendatur, 21. 157
agere in cerebrum & humores 40. 44. 48
ſpiritus animales 41. 48
alexipharmacum eſſe 97
ἀναςομωτικὸν *an ſit.* 158
animoſitatem conciliare 28. 90. 165
aphrodiſiacum an ſit, 128
pro apio exhibitum 154
aqueis optime ſolvi & extrahi 65
bezoardicorum animam eſſe 101
calidius ex igne redire 34
calidum eſſe 26. 34
caſtratum 40. 51. 54
cauteriis potentialibus an addi poſſit, 136
per clyſterem coma intuliſſe 140
enecaſſe 139
congelare ſanguinem 23. 24. 145. 158
non convenire omnibus 45. 46
corrigendum eſſe 49
crudum virtute cedere præparato 78
dentibus inditum necaſſe 139
depuratum tutiſſimum eſſe 56
διαχώρησιν *humorum ſiſtere* 90
diarrhœas & vomitus operatum 92
unde dicatur, 4
dolorem quomodo ſiſtat externe applicatum, 133
dolores ſedare 80
doloribus eſſe contrarium 82

exhi-

exhilarare homines 24
ex qua papaverum ſpecie producatur 13.14
externe diſcutere & emollire 28
fermentationem theriacæ an inhibeat, 24. 25
fluxiones quascunque ſiſtere 88
frigidum eſſe 22. *& ſequ.*
ſolum ex papavere nigro paratum 31
homogeneum fere eſſe 28
incorrectum minus proficuum 49
non indigere corrigente 69
juvante 68
inflammabile eſſe 20
ipſiſſimum adhæſiſſe extinctorum cordibus 24
largius ac cum periculo maximo a parocho medicaſtro datum 78
citra periculum a Medico ipſo ſumptum 77
Maslag Turcarum an ſit, 160
& meconium differre 6.7. 8.10.21
medium quaſi eſſe inter gummata & reſinas 64
quandoque minus ſomniferum eſſe 86
noſtro ſub climate an etiam poſſit parari, 18
noſtrum hodie quale, 17
an meconium ſit, an verum opium, 8. 9. 10
odore necare 155
non niſi olfaciendum eſſe 149
non operari, niſi ſeri ſit in ſanguine ſatis 45
optimum quodnam, 15. 17.19
palliare ſaltim morbos, non tollere 157
puerorum faciem augere quadam effloreſcentia 91
purgantibus miſceri qua cautione poſſit, 120
purgare extraordinarie 92
maxime forma pilulari datum ibid.
umbilico illitum 134
cur purget, 92.93.
cur non purget ordinarie, 92
quid, 6.10
riſum movere Sardonium 24
roborare naturam 91

Opium

Opium Sal ⊕latum poſſidere 94
ſanguinem non vitiare 48
ſimplex an ſit, 12
ſimul calidum & frigidum eſſe 30
Smicroſcopio qualem præbeat vultum, 22
ſomnum inducere 84
ſudorem movere 27. 89
ſimilis odoris 91. 153
cur moveat? 90. 91
ſulphuratum 56
ſulphur lentum ſimul & fætidum noxium poſſidere 50
in ſuppoſitorio mortem acceleraſſe 140
Thebaicum hodie non tam a loco, quam ob præſtantiam dici 19
theriacam dici ap. Indos 17
an torporem & hebetudinem ſenſibus inducat, 83. 84
torreri, ſed male 54. 55. 56
toſtum 53
turbare nonnunquam alvum vel vomitum excitare 91
Opium venenum an ſit, 48. 104. 152
vigilias nonnunquam augere 45
vomitoriis miſceri qua cautione poſſit, 120
vomitum quandoque ciere 92
ſæpius, raro diarrhœam ibid.
Vulcano quale ſe præbeat, 32. 33
ὀπὸς *quid,* 4. 5. 12
Cyrenaicus quid, 5. 6
Otalgiæ non tuto opponi opiata 148
Otenchytis non tuto miſceri opium 147

P.

PAlpitationis cordis remed. 113
Papaverculum quid, 8
Papaver Indicum majoribus capitibus 17
nigrum non facile provenire in India 14
valentius fundere opium ibid.
quoad eſſentiam quale, 34
ſylveſtre eſſe purgans 92

Papaverum variæ ſpecies 13
Paralyſin univerſalem fere ſemper habere prægreſſum calorem 46
Paridis baccas collectores quandoque tentaſſe ſtupore 155
Parturientiam doloribus an conveniant opiata, 146
Pectoris apoſtematum remed. 112
Pediluvia ſomnifera 39
Peſtis an ferat opiata 100
Phrenitidis remedium 102. 132. 138
Phrenitis cum febri acutiſſima laudano opiato curata 102
Phthiſeos remed. 112
Phthiſici opiatis purgati 93
Phthiſicorum ſalutem in expectoratione poni 113
Phthiſin fuiſſe qui curarit arſenico 134
Pila ſomnifera 134
Pili ne naſcantur 137
Pilula Herlicii ad dolorem dentium ibid.
Pilulæ aloeticæ Wedelii 53
confortantes cephalicæ Ejusdem 69. 103
excludunt ſalia 60
vomitum ſiſtunt 116
Plantaginis Cryſtalli vid. *Cryſt.*
Pleuritidis remedium 111
epidemicæ remed. 112
Pleuriticos ſumptis ☽*oſis vel* ♀*ratis paulo gravius affici* 112
Podagræ remedium 125. 133
Pollutio nocturna cum tentigine ex opio nata 129
Pruritus ſcroti intolerabilis cum tenſione, titulatione &c. qua ratione fuerit curatus 137
Prunarum exhalatio noxia 39
Pueris rarius eſſe & parcius dandum opium 148
Pulverem pyrium gignere fortitudinem 163
Pulvis abſorbens Wedelii 113. 114
anodynus confortans Mich. 72
lithontripticus Ludovici 125
niger antepilepticus 94
pleuriticus 111
Purgandumne prius ſit, quam aſſumenda opiata 144
Purgantium agendi principia quænam, 93

Pur-

Purgantium interpolatio accedente paroxyſmo febrili 145
mixtura cum anodynis 119
vis ſomnifera 18
opio oppoſita 52
Purgationis requiſita quænam 86

R.

R*Aphanum ruſticanum aceto præparatum miteſcere* 59
Raucedinis remedium 75
Rob cydoniorum opiatum 60

S.

S*Agapenum per clyſterem infuſum mortem intuliſſe* 139
Sal Ammoniacum cephalicum 47. 107
🜽*ri bulimi remedium* 116
Salia corrigere opium 52
volatilia ab acidis miteſcere 59
Sanguinis grumeſcentis remed. 113
Sapores unde 42
Scorbutica ſymptomata varia opiatis ſedata 117
Scordium noſtras præſtat Cretico 3
Scroti pruritus vid. Prur.
Sectiones tum ſphacelatarum partium, tum calculi præmuniendas eſſe opio 130
ut fiant citra diſſipationem humorum 24
Senibus non adeo convenire opiata 148
Senum vigiliæ vid. Vigil.
Silphii ſuccus quid, 5
Sinapi cum aceto præparatum miteſcere 59
Singultus remedium 115. 117
Sirupus de meconio 8
Somnifera agere vaporoſitate 40
& ſoporifera differre 87. 88
Somniferorum abuſus ad fallendum 88
utilitas 87
Somni quænam requiſita, 86
Somnum circa declinationem morborum calidiorum, cæteris paribus, eſſe ſalutarem 36
fluxiones ſiſtere omnes, excepto ſudore 91
quæ inducant, 35. ſeq.

Somnum ſudori non favere, niſi corpore repleto 91
Somnus longior ne terreat Medicum, modo legitime dederit opium 150
profundior vigilias longiores ſequitur 36
quotuplex, 35
unde, 35. 36. 46
Soporoſis affectibus jungi calorem 46
Soporoſorum affectuum remedia 42. 43. 46. 47. 51. 52. 53
Sopor rebellis cum calore inſigni junctus, diſſipatus volatilibus 46
Soporem dare quid, 154
Specificum anodynum Paracelſi 69. 70
Sphacelus an opium ferat, 129
Spina Helmontii quid, 81
Spiritum vini aſſumere etiam ſalia 62
ſomnum ciere & ſtuporem inducere 37. 44
Spiritus opii 74
vini ab opio abſtractus num ſit narcoticus, 62
Spirituum exolutioni ſuccurrere opiata 113
Succu vegetabiles quotuplices 4
Suppoſitorium ex opio an fieri poſſit, 141
Sulphurata pleuriticos gravius afficere 112
Sulphuris vis anodyna 82
narcotica 43. 44
affectiones 42
⊕li vid. Vitr.
Syncopes remed. 113

T.

TAbaci fumum inferius inflatum eſſe vice clyſteris 93
infuſum ſcabioſis ſaltim ad extra illitum, enormes concitare vomitus ibid.
Tabulæ narcoticæ Plateri 71. 72
Temperamentum gradus exacte non poſſe definiri 22
Teneſmi remedium 126
Tertianarii opiatis curati 96
Tertianarius hauſtis 🜄 *℥ix. profunde quidem ſopitus, ſed febri non liberatus* 38
laudano opiato curatus 96
Thebæ 15
Theriacam in peſte nihil prodeſſe, niſi cum opio 90

Theria-

Theriacam recentem dolores efficacius ſiſtere 25
eſſe frigidam ibid.
ſudorem non movere, niſi cum opio 90
movere tum recentem tum veterem 25
Thoracis affectibus an opiata opem ferant, 108
Thuringis fœminis familiarem maxime eſſe arthritidem vagam ſcorbuticam 126
Thymaleam nec in Cambaja, nec tota India provenire 22
Tigris ferociam opio leniri 106
Tincturam bezoardicam per anodynam reddi validiorem 99
Tincturas bezoardicas cum opio efficacius pellere ſudorem 90
♂tis c. arcano ♀ri 103
Tinctura opii ſeu anodyna Wedelii 74
præcipitata 75
Tormina infantum & inde natas vigilias dato leni purgante quieſcere 38
Trochiſci narcotici Plateri 71. 72
Turcarum quatuor religiones 163
Turcas non poſſe citra periculum vitæ carere opio 77. 164
præliaturos præbibere Maslag 160
vorare Aſſeral 163
Tuſſis remedium 75. 100. 109

U.

Ulcerum oculorum remed. 148
uteri remed. 136
Unguentum opiatum 132
ſomniferum 134
Vaporoſa eſſe calida 27
Variolarum an opium remedium ſit, 101
Venenata an odore tetro æſtimanda, 153
Venenorum diviſio 153
an iis odorata adverſentur, ibid.
Ventriculo debili opium nocere 147
Vertiginis remedium 103
Vertigo exquiſita curata inter alia opiatis ibid.
Vigiliarum remedia 36. 37. 38. 39. 84. 85. 132. 133. 134
infantum remedium 38

Vigiliarum melancholicorum remed. 39
noxæ 85
ſenum remed. 38. 87. 148
Vigiliæ contumaces unde, 36. 37
clyſteres quales requirant, 140
in malignis ut tollantur, 98. *ſeq.*
quænam admittant opiata 86
tricennales 85
Vigilias longiores demulſas opio longiori hinc cedere ſomno 36. 150. 151
in malignis non temere impugnandas opiatis eſſe 98. 99.
ſcorbuticorum fruſtra nonnunquam tentari opio 86
Vinum eſſe alexipharmacum opii 51
Malvaticum opii eſſe antidotum ibid.
Vinum ſomnum inducere 27. 37. 44
vigilias excitare 37
Viſum hebetare opium 147
Vitrioli ſulphur quale, 41
anodynum eſſe fixum ibid.
Helmontii 107
maniacis prodeſſe 104. 106. 107
verum an detur, 105
Vitriolum eſſe cephalicum 107
Vomitoriorum agendi principia 93. 94
Vomitum ſanguineum, ſumpto poculo opiato, migraſſe in ſubitam mortem 146
Vomitus remedium 116
data pilula opiata, vomitu facit, ſed unico, finem ibid.
Vulneribus ſclopetorum an opium conveniat, 135
Vulnerum hæmorrhagiæ ut præcaveantur. 130

FINIS.

MICHAELIS ETTMVLLERI,
PHIL. ET MED. D. ET PROFESSORIS PVBLICI
IN ACADEMIA LIPSIENSI

DE VIRTVTE OPII DIAPHORETICA DISSERTATIO.

LIPSIAE ET JENAE,
SVMPTIBVS JOH. BIELKII.

MEDICO CONSVMMATISSIMO,

DOMINO

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO

MED. DOCT. ET PROFESS. PVBLICO, MEDICO
DVCALI SAXONICO VNDIQVAQVE
MERITISSIMO,

DISSERTATIONEM
HANC
IN AMICITIAE TESSERAM
OFFERT

AVTOR.

I. N. S. S. T.

STerile, ſi quoddam aliud, in Schola Medica ſemper extitit dogma illud, a ſuperiorum ſeculorum in *Galenum* & *Avicennam* Commentatoribus nobis relictum, quo ſimpliciter ex quatuor ſic dictis qualitatibus primis, eorumque, abſque fundamento, graduationibus multiplicibus, mirabiles corporum vires & præſertim ſimplicium operandi rationes, tantum non omnium dilucidare ſatagunt. Superſtructum fuit illud, ſi primam ejus perſcrutemur originem, ruinoſo & arbitrario ſaltem Peripatetico Elementorum quaternioni, qui præter alias turbas, tam in Theoria Phyſices, quam hujus Praxi, Medicina, huic quoque aſſerto primas occaſiones ſuggeſſit: adeo *Dogmata Ariſtotelis, nullum adjumentum, ſed potius multum impedimenti adferunt Medicis ſtudiis, ſive tum Theoriæ, tum Praxi:* ut loquitur Eruditiſſ. *Jungius*, in *Doxoſc Phyſ. Min. p.* 2. *S.* 1. *proem. Aſſ.* 1. *Schol.* 3. Sane ſi rite negotium hoc conſideremus, nullas tales in corporibus deprehendere licet, cujusvis generis qualitates, quas ipſis ordinario affingimus, ſeducti nimirum per pluralitatem attributorum reſpectivorum, quorum originem ad tot diſtinctas entitates qualitatum male referimus, cum pluralitate & diverſitate occurrentium ſaltem objectorum externorum oriantur. Adeo nec Ignis eſt calidus, calorisve tantillum poſſidet, niſi in quantum organa noſtri corporis ita ſunt fabricata, ut ratione motionis celerrimæ ab acidis ejus particulis in iisdem excitatæ, quam caloris nomine appellamus, illi calorem attribuimus: pariter atque nec ferrum ab eodem calefit, niſi in quantum hoc ab igneis iſtis particulis in ſui minimis motum, noſtris ſenſoriis talem impreſſionem, caloris notione inſignitam, facit. Potius qualitatis nomine, (ποιότης a ποιεῖν) cum Curioſo iſto *Gallo*, facilitatem ſive agendi facultatem intelligamus, quæ omnis, cujuscunque fuerit generis, nunc immediate, nunc mediate, ex corporum eſſentia & conſtitutivis principiis fluunt.

Pluribus jam ſuſpecta fuit iſta, per qualitates præſertim primas putatas, Philoſophandi in naturalibus ratio, unde *Fernelius* pariter ac *Sennertus*, inſaniæ opus eſſe dixerunt, ad manifeſtas qualitates omnia reducere velle. Quarum loco, cum occultas ſubſtituere nitantur, profecto negotium potius implicant, quam explicant, dum manifeſtarum illarum æque abſcondita ſit, quam occultarum qualitatum natura: & nemo Illorum, caloris in Igne Naturam & operandi modum clarius explicare potuit, quam magnetis, ferri vim Locomotivam. Obſervarunt hoc plures, in Theoria Phyſica excellentes Medici, unde ſub ætatis ſuæ tenebris, ſi quis alius Lynceus *Fernelius*, hinc inde in eleganti & erudito, *de abdit. rerum cauſis* Tractatu, operationes corporum ſingulariores, a tota eorum ſubſtantia oriri ſtatuit, pluribus applaudentibus Naturæ conſultis, id quod reipſa idem ſonat, ac cum Modernorum plurimi, audacis ingenioſique (ut *Boyleo* hactenus incomparabili, in *præfat. introduct. in Chym. Scept.* audit) Helmontii terentes veſtigia, ex ſeminibus & virtute rerum ſeminali, quaslibet concretorum naturalium dotes derivant. Nempe ut illi, in rei ſubſtantia, formam in ſpecie conſiderarunt, per materiæ modificationem operantem, ita hi principium ſeminale, mediante ſpeciali materiæ textura, ceu quorumvis attributorum & qualitatum fundamento, activam, reſpiciunt. Atque hic terminus eſt ultimus, ultra quem progredi neſcit humana de naturalibus rebus cognitio, ſiquidem tam tota iſtorum ſubſtantia, quam vis horum ſeminalis a priori nobis Mortalibus plane deliteſcit incognita, quia immediate fluit ex imperſcrutabili ſapientia & omnipotentia Divina, cujus revera ſunt characteres, ab aliis Ideæ appellati, materiæ ſub prima corporum creatione impreſſi, quorum beneficio & adhuc dum fœcunda exiſtunt rerum ſemina, & qui ipſi a priori nullo modo, ſed a poſteriori ſaltem per effectus a nobis cognoſcibiles exiſtunt. Exerunt autem ſe, tam in corporum productione, quam productorum operatione, per multiplices materiæ Schematiſmos, ſive conformationes & permutationes mechanicas, ac propterea ex materiæ ſecundum minima textura ac modificatione multiplici & inde dependente varia ad alia concreta habitudine ſive reſpectu,

tam

tam activo quam paſſivo, ceu fonte tot attributorum, clare magis, magisque diſtincte, quam ex qualitatibus, nominetemus ſaltem notis, quibusvis, admirabiles iſtæ operandi rationes explicandæ veniunt. Specialis autem iſta a ſemine immediate fluens,& in minimorum figura;magnitudine,ſitu, ordine, & nexu &c. proxime fundata textura, cum ſub tanta ſpecierum & individuorum varietate tantum non ſit infinita,pro ſublevando ab infinito abhorrente intellectu humano,in pluribus explicandis corporum Phænomenis, ad bina univerſaliora iſta naturæ inprimis, hinc & artis, illius imitatricis inſtrumenta materialia quaſi mechanica, minima acidi & alcali confugere omnino neceſſe habemus. Quæ omnia & iſti agendi facultati corporum, horumve partium, reſpectu cujus in animalium præſertim hominum corporibus, nunc alimentorum, nunc medicamentorum,nunc Venenorum nomine veniunt,applicanda ſunt. Quatenus illa, ratione materialis ſeu mechanicæ ſecundum minima texturæ, partium noſtri corporis texturam & conſtitutionem, vel conſervare, vel immutare, vel deſtruere valent, quas actiones neceſſario noſtræ cognitionis ſenſualis,hinc & intellectualis reſpectu,varii conceptus & notiones multiplices comitabuntur,quarum occaſione tot qualitates in iſtis objectis vulgo ſtatuuntur,quot attributa reſpectiva de iis deprehendere licet: quod ut perquam inconveniens eſt, ita multo magis, multiplici errori anſam ſubminiſtrare ſolet, ſi ex quatuor elementorum horumque primis qualitatibus, earumque Syzygiis particularium iſtarum qualitatum originem, & operandi modum derivare velimus. Illuſtrat hæc omnia, ut unicum in medium producamus, *Opium*,vi ſua polychreſta,nec unquam ſatis laudata,qua & ſomni nobis dulcedinem conciliat,& doloris ſuave lenimen præſtat,& quavis in Republica noſtra microcoſmica turbata pacatiora reddit: cujus ſingulariſſimæ dotes, dum ab uno frigori ejus ſummo adſcribuntur, quod tamen calidum intenſe ab alio affirmatur, dici nequit, quas lites excitant, de Lana caprina omnes. Quas ut inpræſentiarum miſſas faciamus,vis ejus diaphoretica nos monet,quam ſolam conſiderare eſt animus, cui cœpto ſupremus annuere velit *Archiater*.

Cap. I.
Effectus Opii in partes contentas conſiderat.

Thes.

Opium quasvis excretiones ſiſtit, præter ſudorem, idque nec in partes ſolidas nec in partes fluidas agendo, ſed ſaltem ſpirituum animalium impetum refrænando.

§. 1.

GRaviſſime licet decumbant ægri, & peſſimo verſentur in ſtatu, modo ſomni blanda frui datum ſit illis quiete, præſentiſſimum ſolamen, & levamen exoptatiſſimum ex eo percipere aſſolent, *adeo ut arcanum in Medicina, ſupra omnes gemmas & Lapides pretioſos*, merito ſomnus audiat *Crollio: Baſil. Chym. c. 7. p.* 198. Nam præter alios uſus, & hoc ſimul ex eo ſperare licet beneficii, quod juxta tritum Practicorum axioma, *ſomnus omnes fluxiones, excepto ſudore, ſiſtere ſoleat.*

2. De ſomno naturali quod hic aſſeritur, hoc ipſum de eodem, quatenus artis beneficio per ſoporifera remedia, quorum anteſignanum eſt Opium hujusque nunquam ſatis laudatum Laudanum, adeoque de ipſis etiam auxiliis ſomniferis affirmandum pariter venit, quod hæc ipſa præter ſuavem ad ſomnum propenſionem, quosvis humorum motus cohibere, & ſpecialius quaſvis excretiones præter ſudorem compeſcere ſoleant.

3. Quotidianæ hoc debetur experientiæ, quæ tam de naturali contentorum in corporea noſtra machina motu, hoc confirmat, quam vel maxime de præternaturali eorum, vel in certa loca intra corpus effuſione, vel per certa loca extra corpus excretione idem oſten-

oſtendit. Equidem naturalem contentorum fluxum per alvum & veſicam non ſolum cohibere aptum natum eſt opium, ſed ipſum etiam ſanguinis in orbem reditum ſedatiorem ſuo uſu reddit, cum pulſus exinde factus rarior & tardior, quam ante ejus exhibitionem fuerat, quietiorem ſanguinis circuitum innuat, & reſpiratio ipſa quoque minor & minus frequens exinde reddita, moderatæ magis per pulmones ſanguinis trajectionis teſtis adſit. Sub quo ſanguinis blandiori fluxu & refluxu, lymphæ quoque tardior neceſſario ſequitur motus, proptereaque ex opiatorum uſu ſubinde faucium ac Linguæ aliqualis ſiccitas, & ſitis urgentia obſervari ſolet, minus copioſa ſalivali lympha illas eluente. Quin imo, in tantum etiam cohibuiſſe contentorum corporis reciprocos fluxus, ad vitam continuandam ſumme neceſſarios, opiata obſervata fuerunt, ut penitus ceſſantibus his ipſis, vita cum morte commutata fuerit. Ob id ſcilicet tam ſolicite monent Practici, ne niſi ſub aliquali adhuc virium robore, remedia iſtusmodi, nec niſi exactiſſime correcta, propinentur.

4. Evidentiora ſunt longe, quæ ſub p. n. contentorum corporis motu ab opiatis contingunt. His & vomitus & diarrhœæ auſpicato ſupprimuntur, dyſenteriæ graviori absque opio ſuccurrere difficile, ne dicam impoſſibile eſt, non ſecus ac Choleræ. Sanguinis quæ fiunt, eo periculoſiores effuſiones, quo vitæ nectar immediate magis exhauriunt, per quæcunque loca, ſive alvum, ſive veſicam, ſive nares, ſive os, ſive uterum, &c. frequenter ab Opii vi compeſcuntur. Diabeticorum urinarius nimbus per Opiata ſiſtendus venit. Quas lymphæ effuſiones, catarrhales inducunt affectiones, præſertim thoracem cum aſpera arteria, (ceu quæ frequentiores magis illius patiuntur inundationes) affligentes, ab opiatorum vi prompte reprimuntur. Ipſa copioſior, etiam a ☿io concitata, ſalivatio per Opium moderamen patitur. Ut taceam febrium univerſum exercitum, in corporis fluidis, præſertim ſanguine, fere omnia ſurſum deorſum miſcentem, cujus impetus ferociores & reprimit Opium, ac refrænat in continuis benignis, in malignis vero utramque faciunt in cura paginam, ut *loquitur J. D. Horſtius judic. de Chirurg. Infuſ. p.* 47. Dum intermittentium paroxy-

roxyſmos ſenſibiliter repellit, rigores potenter minuendo, & cætera ſymptomata mitigando.

5. Sed in omnibus his contentorum ab opio quoad ſui motum factis immutationibus ſudor ſupereſt, qui tantum abeſt, ut ab Opiatis ſufflaminetur, ut potius ſtrenue & profuſe proliciatur, tam ab iisdem ſolitarie aſſumtis, quam aliis præſertim diaphoreticis additis, quoram agendi potentiam, mirum quantum opium intendere ſatagit, adeo ut inter ſudorifera excellere Opium dicatur *Walæo tr. meth. medend. p.* 65. cui conſtans Practicorum concentus omnino ſuffragatur, & ante Eum jam notarunt, tam *Germanorum Plinius Geſnerus, in Epiſt. l.* 2. *p.* 61. & 69. quam *Platerus in Obſ. l.* 2. *pag.* 491. & *l.* 3. *pag.* 633. & 727. Conf. *Hochſtetterus decad.* 3. *caſ. I. Schol.*

6. Conſiderandum jam ante omnia, qua ratione priores illos, liquidorum motum ſiſtendi effectus perficiat Opium. Ubi inprimis obſervandus venit duplex in Medicina corporis noſtri hydraulico-pneumatica contentorum ſive humorum motus: Localis unus, ſive progreſſivus, alter inteſtinus ſive plus minus fermentativus. Localis, totius molis liquidæ per ſuos ductus & canales eſt translatio, reſpectu cujus in ſanguine Cordis muſculus antliæ vices ſubit, transvaſando ex venis ſanguinem per medios pulmones in arterias, præter quod officium, an aliud præterea ſanguini conferat beneficium, merito dubitatur, ſaltem hactenus ignoratur. Inteſtinus ille ſecundus eſt minutarum illarum contenta noſtra liquida ſive humores componentium particularum continuus reciprocus modus, ratione cujus non tantum in fluiditate continua conſervantur eadem, ſed etiam fermentationis & turgeſcentiæ, tam naturalis quam p. naturalis, & inde natæ multiplicis alterationis & immutationis, ſecundum minutarum iſtarum particularum Syncriſin, diacriſin & metaſtaſin, ſubeunt viciſſitudines, undecunque etiam, minutiarum illarum continuatus dependeat principaliter motus, ut ut ⊖ium ſic dictorum varietas, præſertim acidi, inſtrumentaliter plurimum omnino conferat.

7. Inteſtinum hunc motum ab Opio ſupprimi, a nemine hactenus aſſertum fuit. Ac obſtat exilis iſta, aliquot ſaltem granorum

doſis,

doſis, quo minus Craſin materialem illorum immutare, & conſequenter dependentem ab illa inteſtinum motum ſiſtere plus minus valeat: de quo pluribus infra. Quatenus tamen, ut ex ſequentibus patebit, localem humorum motum refrænat, & ſupprimit plus minus, etiam ad inteſtinum motum, ab illo certa ratione, quoad aliquam modificationem dependentem, nonnihil moderandum conferre poterit: præſertim ſi ex confluentia quorundam liquidorum, hic ipſe vel oriatur primario, vel ab iis certa ratione intendatur, qualis eſt Chyli cum felleis & pancreaticis liquidis, ſanguinis cum his ipſis & lympha: &c. Hac enim fere ratione, ex parte & febrium impetum nonnihil compeſcere, & intermittentium præſertim plura ſymptomata refrænare, probabile eſt.

8. Localis ergo ſpeciatim eſt modus fluidorum, quem Opium plus minus ſiſtere valet. Ut quando ſuperiori anno, Juveni ex incautius hauſto Vino emetico ♁iali, in hypercatharſi ultra 14. dies adeo copioſa, ut ſeceſſuum numerum referre, (mendacii ſuſpicionem declinando) non libeat, eſſentia thericalis cum dimidio eſt. Opii propinata, præſentaneam opem, 40. ſaltem guttarum doſi attulerit. Circa hunc motum localem tria conſideranda veniunt: 1. ipſum fluidum motum: 2. pars Organica, a qua & per quam inſtrumentaliter movetur: & 3. ſpiritus impetum faciens, a quo principaliter omnis oritur motus. Unde unius vel alterius horum trium reſpectu, Opium vim ſuam exerere, omnino neceſſarium erit.

9. Humores fluidos quod attinet, horum motum, qua talium, cohibere nequit opium. Locali in motu, fluida illa paſſive ſe habent, & quæ naturali impetu, deorſum ſaltem ruerent, intra certos corporis canales coërcita, ſecundum horum conformationem, pro moventis impetu undiquaque diſtribuuntur, adeoque ſupra & infra neſciunt, ſuntque tam in fronte, quam in pedibus, ut de ſanguine loquitur *Helmont. tr. Terra: §. 7.* cum quo *conf. Eruditiſſ. olim Patavinorum Sanctorius: in Meth. Vit Error. p.* 710. *&* 874. Opium ergo talem motum, quomodo in his fluidis inhibebit, dum alieno ipſi ſubſunt & parent imperio. In quem ſcopum finge, occaſione ſpiculorum antimonialium, cum Vino inſu-

infuſionis croci metallorum aut Vitr. ♁ hauſtorum, & Vomitus multiplicis materiæ, & variarum ſordium ſeceſſus provocari, quibus quocunque modo aut quanto ſocietur opium, quid adjumenti hoc conferet fluido, qua tali, ſiquidem hujus mole obrutum & abreptum, ſimul evacuabitur; Nam conſiſtentiam fluidi, ab Opio minutari immediate, nondum hactenus compertum fuit. Adeo, ut Opium fluidorum motum cohibeat, absque ulla in fluida ipſa actione.

10. Conſiderandæ jam partes ſolidæ, qua tales, an harum ex affectione ab Opio ſuſcepta, illæ in contentorum motu alterationes dependeant; cum ab his moveri liquida, & modo §. 8. dictum ſit, & experientia ipſa commonſtret. Sed quo minus & harum reſpectu, Opium ſiſtat contentorum Lationes, patet non ſolum ex parva iſta doſi, qua propinantur, (de quo infra), quæ non ſufficiens eſt, ut partes ſolidas tam notabiliter in ſuis functionibus motivis cohibere queat, ſed etiam ipſæ ſolidæ partes inſtrumentaliter ſe habent, ad fluidorum motum, quatenus principium movendi ex ſe ipſis non habent, ſed ab aliena potentia, ceu organa ſaltem moveri & ipſæ ſoleant. Ad hæc, qua ratione in eas agit Opium, an ratione texturæ illarum materialis, & inde natarum multiplicium proprietatum ſenſualium ſive temperaturæ, an ratione conformationis ſuæ mathematico-mechanicæ, ratione cujus in eſſe organico conſtituitur? Non ratione hujus, cum nullum immutatæ organiſationis ſeu conformationis ab Opio inductæ innoteſcat veſtigium: pariter atque in ipſa textura materiali, qua tali, & inde natis qualitatibus temperaturaque, ab Opii uſu, ulla immediate facta mutatio haud apparere ſoleat.

11. Dum ergo Opium proxime, nec in continentes ſeu ſolidas, nec in contentas partes ſeu liquidas, harum motus, & inde natas excretiones ſiſtendo agat, ſuperſunt ſpiritus, ſive impetum faciens Hippocratis, quos conſideremus, quid hoc in negotio vel agant, vel patiantur ab Opio. Hi ſcil. ſunt, animales ſpeciatim appellati, qui fibrarum motricium beneficio, omnis in corporis Oeconomia localis motus exiſtunt autores primi. Hi Rota ſunt ſuprema ſive magna, quæ alias Rotas in corpore humano

(tan-

(tanquam artificioſiſſimo automate) circumagit, ut eleganter loquitur *Illuſtr. B. de Verulamio: hiſt. V. & M. p.* 94. 193. Horum ergo quamdiu viget impetus elaſticus, etiam fibrarum motricium rite fabricatarum tonus, & inde dependens tam ad externorum objectorum promtiſſime recipiendam impreſſionem ſenſilem proclivitas, quam continuus ad motum nixus, debito in robore vigebunt, adeoque quamvis partium continentium localis motus, cum contentarum promptiſſima undique diſtributione, quin &, pro occaſionum varietate, in ordinata commotione & nonnunquam excluſione continuabit. Sufflaminato autem nonnihil ſpirituum illorum impetu motivo, & inhibito quadantenus radioſo illorum influxu, ceſſabit etiam proportionaliter fibrarum tonus, remittet una ſenſilium facilis receptio, & langveſcet fibrarum motivus nixus, adeoque contentorum hinc ſedatior longe ac tardior ſuperveniet fluor.

12. Refrænat hunc ſpirituum impetum, & ſegniores quaſi reddit eosdem Opium, quod notiſſimi ejus in corporibus noſtris effectus, *ſomnolentiæ* & *indolentiæ* teſtantur. Ibi langveſcens ſpirituum impetus, minus vigoroſe per univerſum ſyſtematis nervoſi extenditur, unde præſentes licet undique, non æque ſufficientes tamen pro ſenſationum & motionum externarum obeundis muniis eſſe ſolent. Hinc flacceſcente fibrarum ſenſilium Tono, haud æque valide ab objecto licet intenſiori vibrari poterunt, unde nec ſpirituum jam in Elatere ſuo remittentium ſufficiens repercuſſio ad primum commune ſenſorium fieri, nec fibrarum doloroſe commotarum ſuperveniens ſpaſmus ordinarius & convulſiva tenſio procedere poterit. Sub quo ſpiritrum aliquali quaſi ſtupore per Opium inducto, & ſenſationes externas, & motiones pariter locales tam partium ſolidarum, quam contentorum in illarum alveis fluidorum remittere inſigniter, neceſſe erit.

13. Et horum duorum effectuum ratione, *torpeſcentis* nempe *tactus*, & *remittentis* fibrarum motricium *Toni*, accidit, quod Opium quosvis humorum motus ſiſtere, & ſpeciatim quasvis excretiones, ſudore excepto, compeſcere ſoleat. Hæc duo enim

 fere

fere in quovis tam naturali, quam p. n. contentorum motu ſunt obvia, partis ſcil. moventis irritatio, & hinc fibrarum ejusdem motricium contractio, indeque fluidorum contentorum multiplex motio. Nempe quotiescunque pars quædam, ſenſu moleſti vel noxii infeſtatur, fibrarum ſenſilium inordinata & vehementiore vibratione, ſpirituum ad eam provocatur impetus, a quibus aucta & plus minus ſpaſmodica earum tenſio perficitur. Contractis ſic fibris, vaſa quoque tam ſanguifera quam lymphatica, aliaque, & quicunque partis meatus ſtringuntur plus minus, indeque vel remorato contentorum tranſitu, horum circa locum ita affectum ſtagnatio, unde ſuperveniens tumor, vel copioſior per vias aut conſuetas, aut inſvetas, apertas tamen vel facile aperibiles, pro circumſtantiarum ratione, effuſio.

14. Pro quorum illuſtratione conſidera, acidum illud, mole ſubinde minimum, quod dentis plus minus carioſi radicem nerveam, & fibroſam pungit & rodit, ac doloroſe irritat. Brevi exinde, non faciei ſaltem ex illa parte, ac temporum, ſed totius capitis hæmiſphærii tenſionis & plus minus lacerationis ſenſus, ſpaſmi fibrarum manifeſtus index, cum non raro tumore malæ, nunc ſanguineo, nunc lymphatico, h. e. Phlegmonoſo aut œdematoſo ſupervenit, cum copioſiſſimæ ſalivæ limpidæ effluxu, pertinaciori fibrarum nervearum ſtrictura ex glandulis immediate, mediate ex ſanguineis vaſis expreſſa. Aſt Opium ſi interno uſu ſomnum provocarit, doloremque levarit, vel loco dolenti applicatione ſenſilitatem ejus ſtupefecerit, vel ſua ſponte tandem dolor deſævierit, breviter & hemicraniæ affectio, & externarum partium tumor, & ptyeliſmi profluvium ceſſabunt. Quæ ipſa, & Oculus a tantillo aſperiori pulviſculo læſus, & digitus a parva ſpinula in ſui extremo infixa moleſtatus, & ſtomachus a ſpiculis ☿libus irritatus, & recti extremitas, a reſina viſcidiore aloës infeſtata, & aſperæ arteriæ ſenſibiliſſima tunica ab inclementiore aëre læſa, aliaque ſexcenta Corporis Oeconomia quotidie obvia ſufficientiſſime mutatis mutandis confirmant.

15. Spi-

15. Spirituum ergo impetum ſiſtendo, & motum eorum plus minus ſufflaminando, adeoque tam ſenſus in parte acumen hebetando, & motum ejus fibrarum præſertim periſtalticum impediendo, quasvis fluxiones ſiſtit Opium. Hac ratione Opiata, v. g. Theriacalia, & Vomitus, & hypercatharſes, & diarrhœas, & dyſenterias ſopiunt. Non ſecus ac hæmorrhagias, ſenſum in parte ex qua effluit vellicantem mitigando & ſanguinis impetum motivum nonnihil cohibendo reprimit. Adeoque illis ſaltem hæmorrhagiis proprie convenit, quæ vel occaſione moleſtæ ſive ſenſilioris irritationis, aut excitantur, aut continuantur, aut ſæpius recidivant; (quas inter occaſiones ipſe ſeroſior & acrior ſanguis non ultimas tenet) vel quæ occaſione inordinatorum ſpaſmorum in vaſis ſanguiferis ſubinde accidunt. Eodem ex fundamento & tenues Catarrhos ſiſtere partim, partim incraſſare dicuntur papaverina, Opii parentes, dum ſenſum moleſtæ in pharynge pariter ac larynge irritationis levant, & hac occaſione factam lymphæ uberiorem per fibras conſtrictas ex glandulis expreſſionem ſive excretionem ſiſtunt: eo quod de latice iſto jam excretum fuit, exacto ſui cum nutrimento aſperæ arteriæ rorido chyloſo, ante ſui aſſimilationem ſimul tranſudante, miſcela & unione, ſpiſſiorem conſiſtentiam, & ex particularum activarum ſubactione debita, convenientem & tactui laryngis proportionatam temperaturam interea acquirente, adeoque coctum & incraſſatum apparente, facilioris, ſub tali paulo viſcidiori conſiſtentia, ab impetu aeris eliſionis & excretionis. Sane Phthiſici ex pulmone, ſenſile beneficium ab Opiatis recipiunt, rite adminiſtratis, nam & ſordium copia exinde minuitur, non ſupprimendo easdem, ſed continuam regenerationem præcavendo, & eædem meliorem conſiſtentiam nactæ, faciliori cum conatu expectorantur. Sane haud ſemel miratus ſum Phthiſicos etiam diutius, ac per aliquot ſeptimanas, continuum Opii uſum, citra ullam ſenſilem vel notabilem noxam aut alterationem ferre poſſe: id quod & olim obſervavit *Crollius: Baſil. ubi de Elect. Laudan, it. Hartman. de Opio. Theor. quæſt. X. p. 158.*

Cap. II.

Vim Opii ſudoriferam explicat.

Thes.

Opium per accidens, mediante largiori pororum Cutis hiatu, ſudoris profluvium promovet.

§. 1.

Opium rite paratum, & in laudandum laudanum exaltatum, vi ſudores excitandi, & inſenſilem tranſpirationem, in ſenſilem tranſudationem augmentandi pollere inſigni, docente magiſtra experientia, ſupra inſinuatum fuit, ut ut quasvis alias liquidorum excretiones inhibeat. Inveſtigatu itaque omnino dignum videtur, ex Theoretico cauſarum ſcrutinio, hæc ipſa operatio, pro meliori ſui ad praxin applicatione.

2. Ad hoc, ut rite extillet ex corpore noſtro ſudor, duo exacte diſtinguenda veniunt: qualis nempe 1. ſit ſanguinis ſtatus, a quo aptus reddatur, dimittendo promptius ſeroſo latici, quibusvis tam ipſius ſanguinis, quam ſolidarum partium a nutritione privata, ex materiæ neceſſitate relictis ſuperfluis aut effœtis, & eatenus excrementitiis particulis inhibitis onerato: hinc 2. qualis cutis ejusque pororum, ſeu ſudoris cribrorum neceſſaria ſit conditio, pro transmittendo rite ſudoris latice, ejusque promovenda plus minus excretione.

3. Prius cognoſci haud poterit melius, quam ſi ratio habeatur attente eorum, quæ in ſpontaneo ſudoris profluvio, ſub exercitiis ac motu corporis, ſubſiſtentia in loco calidiore, &c. cuivis obvia ſunt, & quadruplicia φαινομένων differentia terminantur. Pulſus ſcil. 1. ſemper celerior & frequentior, rapidiorem ſangvinis per

cor

cor & univerſum corpus motum oſtendit, (ſive ſpirituum cordis muſculum moventium immediate, ſive ſangvinis cor pro crebriori motu ſtimulantis occaſione eveniat) quibus adjuncta ejus magnitudo, intenſiorem turgeſcentiam & fermentativum motum auctum innuit: quæ ipſa neceſſario, ex inteſtino particularum in ſangvine motu, præſertim acidarum cum aliis alcalinis & terreis, concitatiore 2. ſenſilior totius corporis calor ac æſtuatio comitatur. 3. Supervenit his habitus corporis exterioris & rubor, & mollities, & aliqualis turgeſcentia, ſiquidem ſangvis taliter alteratus, undique per quævis capillaria celeriori trajectione quidem penetrat, ſed langveſcente nonnihil, circa hæc ipſa impellentis impetu, vix tam promte a venulis excipi poterit, quin ulteriori per arterioſa vaſa affluxu, aliquali ſubſiſtentia copioſius ſolito partium ſolidarum poros undique repleat, indeque iſta Phænomena exhibeat: unde 4. penetrans undique latex aquoſus, ſub tali ſangvinis alteratione & inprimis intenſiori exæſtuatione, & ipſe rarefactus, & quaſi poroſior factus, adeoque imbibendis ex ſangvine & abſtergendis ex ſolidis partibus quibusvis heterogeneis, præſertim ⊖inis particulis aptior redditus, facillime qua data porta proruere, & ſpeciatim per cutim transcolari poteſt. Uterque ergo motus ſangvinis, tam circularis, quam fermentativus, ille quidem celerior, hic intenſior, ſangvinem ſub ſudore neceſſario attenuatum, reſolutum, & quaſi liquefactum exhibent, cum non niſi tali ſub ſangvinis ſtatu, illa ejus Phænomena apparere queant. Unde etiam propriiſſime dicta ſudorifera, nempe ⊖ia vol. tam manifeſta quam occulta, tam libera, & ſui quaſi juris, quam in ℴℴ concentrata, non niſi tali ſangvinis in conſiſtentia ſua & textura alteratione ſudorem provocare videntur. Attenuatus ita ſangvis, hoc ipſo ſimul diſponitur, ut ſeri, communis iſtius alimenti & excrementi vehiculi, facilem ſeceſſum & promtam ſeparationem patiatur.

4. Cutim quod ſpectat, hujusque ſub ſudore conſtitutionem, obſervanda venit curioſa ejus & artificioſa ſtructura. Eſt hæc rete ſane mirabile, ex fibris arteriarum, venarum, nervorum & tendinum varie inter ſe complicatis contextum, ita tamen ut nervoſo generi plus, quam venoſo, in ſua ſtructura acceptum referat, tanta &

 ner-

nervearum & tendinoſarum fibrarum copia, cum intertextis arteriarum venarumque capillaribus, ut exiliſſimis ſic numeroſiſſimis gaudet. Neceſſario v. in taliter conſtructa corpus inveſtiente tela, foraminula meatusque complures extabunt, ex quibus creberrima duo emergunt corpora: *papillæ* primo loco pyramidales innumeræ, nervorum ſcilicet extremi fines, horumque fibrarum ultimæ portiones cutim perforantes conglobantur, & ita in extimam cuticulam usque deſinunt, genuinum ſcil. tactus organum, quas oculatiſſimo debemus *Malpighio*, *tr. de extern. Tact. Organ.* ſecundo loco obſervanda ſunt *Lymphatica vaſa*, excretoria copioſiſſima, ex glandulis miliaribus, cuti ſive ſubſtratis ſive ſimul intertextis enata, quarum ratione interior cutis ſubſtantia *Lindano* carnea aſſerta, a *Williſio* potius glanduloſa ſtatuitur, *Pharm. Rat. Vol.* 2. *ſ.* 3. *c.* 5. *p.* 461. Diſperguntur excretorii hi tubili in univerſo exteriori corpore, perque eos ſudorum rivuli, quorum fontes illæ ſunt glandulæ intercutaneæ, confertim adeo effluunt. Sane, non ſenſibilis tantum tranſudationis, ſed etiam inſenſibilis tranſpirationis officinas has ipſas eſſe ſunt, qui exiſtimant, ut ut triplicem viarum, per quas aliquid in ſuperficiem corporis exponitur, differentiam explicet *Pechlinus*: *de habit. & color. Æthiop. p.* 87. quod ipſum tamen ulterius rimari, ad præſens minus facit inſtitutum, cum circa ſudoris ſcaturiginem ſaltem occupati ſimus.

5. Communis his vaſis excretoriis, eorumque orificiis, cum aliis in corpore noſtro obviis colatoriis officinis affectio erit, ut & aperiri & claudi queant, adeoque transmittendo humori faciliorem vel difficiliorem tranſitum concedere. Cuivis aſſerti hujus veritas obvia erit, alterationes, quæ peripheriæ corporis cutaneæ ſub tempeſtatum mutationibus accidunt, conſideranti; Æſtivo tempore & hiant apertius meatus iſti, & continua laticis transmiſſione, madeſcit ordinario corpus, hinc vehiculi aquoſi per cutim facta trajectione rarior & parcior mictus: aſt dum hyberno gelu quælibet rigent, & rigidior, ſaltem aſperior, deplumati anſeris ad inſtar, evadit cutis, & concluſis iſtis meatibus, copioſior Urinæ ſecretio ſupervenit. Manifeſtum idem evadit, ex alvi majore lubricitate, occluſione meatuum ſudoriferorum ſupervenienti, Memoranda ob

id

id *Gabelchoveri*, Practici multæ experientiæ, *cent.* 3. *cur.* 73. *annot.* *p.* 122. eſt ſententia, *qui ſunt denſæ texturæ, & habent cutim ſpiſſam, & poros arctos, ſæpius quotidie egerunt, quam qui poros habent apertos, ex quibus vapores & humiditates poſſunt reſolvi, egeſtiones exſiccantur, & corpora ſunt magis conſtipata. Hinc ergo colligi poteſt, quare in fine æſtatis, & in principio autumni, fluxus alvi ſæpius accidant,* &c. id quod propria experientia convictus etiam ingenue fatetur *Malpighius:* c. l. p. 40. & 43. In his caſibus, non liquidi qua talis, ſecernendi, ſed organi ſecretionis ſaltem eſt diverſitas, quo in peripheria corporis occluſo, per ſimilia in inteſtina hiantia, & ipſa glanduloſæ texturæ colatoria, quæ eleg. demonſtrat *J. J. Peyerus: de gland. inteſt.* fit excretio. Ob id ſedulo in praxi, fluore alvi quocunque correptorum, dedi ſemper operam, ut pori meatusque cutis, quantum poſſibile ſerventur aperti, & corpus ad diaphoreſin blandam continuo ſit diſpoſitum, quo ipſo non leviter ſufflaminantur enormes iſtæ alvi dejectiones, ſed etiam, ſi quæ ſucceſſive efferveſcat febricula, fauſta iſta contentorum corporis, per poros cutis tranſpiratione extinguitur. Adeo per plurium ſeculorum ætatem, hæc foraminum intercutaneorum vel hiſcentia, vel conniventia fuit obſervata a Medicis, ut non ultimam febrium cauſam, in pororum cutis occluſionem rejecerit *Galenus;* & per experientiam convicti Practici fateri neceſſe habeant, nullam febrim tuto, & absque recidivæ metu judicari poſſe, quæ ſine ſudoris evacuatione deferbuerit.

6. Urget jam noſtram meditationem, unde nunc patentes, nunc conniventes ſint iſti tranſudationis meatus excretoriique tubuli. Variæ equidem ſe offerunt cauſæ, tam connatæ, quas inter eſt naturalis cutis textura vel rarior vel denſior, quam acquiſitæ partim per conſuetudinem, ſecundum varium rerum non naturalium uſum, partim per ægritudinis p. n. alterationem: unde meatus dicti vel ex ſtaminum fibroſorum tenſione nimia, turbari aut obliterari, vel admotis aut excretis variis conſtringi, arrodi, vel iisdem viſcidioribus aut glutinoſioribus obſtrui poſſunt. Præ cæteris, ceu frequentior cauſa, conſideranda venit tubulorum iſtorum, imo, ut probabiliter arbitror, & ipſarum glandularum, a fibris nerveis contractis, occluſio, vel ab his relaxatis recluſio. Tendinoſum nempe

maxi-

maximam partem ſtamen eſſe & fibroſum,quod cutim conſtituit, ſupra inſinuatum fuit: unde pro nervearum & tendinoſarum natura,non ſenſui ſaltem tactus externo,cui illarum extrema papilliformia ſufficiunt, ſed etiam motui cuidam dicatæ erunt, eoque pro fibræ motricis natura, abbreviationis ſeu, ut vulgo dicunt, contractionis & relaxationis:unde neceſſario tubuli iſti excretorii,& ipſæ ſimul glandulæ nunc ſtringi, adeoque has comprimi, illos coarctari, nunc relaxari, & has ſic poroſiores, illos patentiores reddi, neceſſe erit. Argumentum hujus rei,& externus tactus & interna imaginatio ſuggerunt. Quoties vel frigoris,vel ingratæ humiditatis occurrit contactus, mox corrugari cutis, pori claudi, anſerinæ pellis facies hinc emergere ſolet. Evidentiori exemplo, avium plumæ, feliumque pili hoc repræſentant,dum frigoris occurſu, erectiores ſitu, animalia dicta hiſpidiora apparere faciunt, fibris iſtis intercutaneis nerveis, cutis poros ſui contractura ſtringentibus, & ſimul plumas ac pilos ex obliquo ſeu declivi ſitu in rectam magis lineam erigentibus. Imaginationis vis, ut per totum microcoſmi regimen ſe diffundit, ita & extremos ejus limites attingit: tantum tamen non quotidie occurrit, ut ex rei vel horridæ vel terribilis, aliusve ſimilis,vel ſimplici ſaltem narratione,præſertim in delicatioribus, mox cum horroris, aut ſaltem frigoris quodam ſenſu, peripheria corporis undique contrahi, pori arcte claudi, cutisque in anſeris faciem corrugari ſoleat,quaſi omnes,quotquot occurrunt,portas, ab hoſtili inſultu præmunire velit, conſervationis ſuæ provida, Natura. Obſervavit ſane *Malpighius*, c. l. p. 13. *in extremo digito, cuticula per admotum ferrum detracta, ubi ſudoris iſta vaſa excretoria hiant, convexam quandam pelliculam, interiora verſus, non abſimilem cucurbitulæ, extendi, ad edendum forte valvulæ miniſterium, ut interdum tenſa, detineat ſudorem, & relaxata, exitum permittat:* id quod ad præſens negotium illuſtrandum ſimul non parum facit,ut ut clarior & ulterior per experimenta anatomica confirmatio adhuc in hoc paſſu expectanda videatur. Ad hæc modo laudatus Autor *c. l. p.* 39. ad miliares iſtas ſub cute glandulas, per transverſum excurrentem nervum hiare, aſſerit: præter alios uſus, ob id primario, ut excretionem per dictas glandulas, nunc eas ſtringendo, aut laxando, certa ratione moderari poſſit. 7. Sed

7. Sed in coarctationis vel relaxationis hoc negotio, tam glandularum, quam tubulorum excretoriorum, fibræ iſtæ cutaneæ, non niſi inſtrumentaliter ſe habent, ipſo impetum faciente, ſpiritu ſcil. influo, ſpeciatim animali dicto, ceu principali agente, id muneris exequente: unde & vel externam ſenſationem, vel internam imaginationem, utrobique ſpirituum animalium motum prævium, & ad cutim concitatum impetum ſequitur ſaltem talis ſtrictura nimia, aut relaxatio. Nempe uti a ſpiritu animali & ſanguine vitali, tonum debitum ſeu naturalem tenſionem obtinent, indeque & irritari paſſive ab objectis minus proportionatis, & ſimul iisdem reniti active valent, ita etiam hujus Toni ratione, & ipſa cutis, ejusque pori, vel arctius ſtringi, vel laxius dilatari poſſunt.

8. Ex quibus hactenus prolixius declaratis, vel ſua ſponte patet, ex parte cutis pro ſudoris transmiſſione, hanc ſaltem neceſſariam eſſe conditionem, ut meatibus quibusvis, & tubulis glandularum patulis, ob fibras nerveas intercutaneas, relaxatas, adeoque cute exiſtente plus minus molli, rara, poroſa, undique ſudor ceu per cribrum, aut filtrum excerni & tranſcolari queat.

9. Præmiſſis hiſce, Opium examinandum, & quid vel ſanguinem alterando, vel afficiendo cutim valeat, perpendendum, quod citra ejus materialem texturam ex ſeminalibus primordiis natam, & inde varias ortas proprietates, & in alia corpora reſpectivas actiones, exacte evolutam, fieri haud poterit. Offert ſe hic inprimis expertus per ignem Philoſophus, *Helmontius*, qui tr. *Duumvirat.* §. 8. *p.* 275. *ſe in Opio ſalem acrem ſudoriferum, & amarum oleum invenire, longe ab Opii odore recedens, attamen ſoporiferum*, aſſerit: quod repetit: *tr. de Lithiaſ. c.* 9. §. 87. *p.* 728. dum inquit: *quin imo, nec ſoporiferum in Opio friget* 🜍, *ſed valde amaricat, ejusque* ⊖ *acre eſt, & ſudoriferum:* adeo ut duo primaria principiata elementaria in Opio conſideranda ſint, 🜍 ſoporiferum & ⊖ acre ſudoriferum dictum, ex quorum alterutro vis diaphoretica derivanda veniat.

10. Sane Opium pro ratione ſuccorum inſpiſſatorum ex vegetabilibus, gummoſum concretum eſt, ſed quod ceu nucleum

medicamentoſum, reſinam in ſe complectitur. Reſina hæc, eſt proximum virtutis tam ſomniferæ, quam diaphoreticæ ſubjectum, unde & S. V. mediante, ex Opio extrahi, & hoc ipſo, ceu appropriato in textura menſtruo ſimul exaltari ſolet. Reſinæ, concreta ſunt, ſingulariter concentrata, & ex pluribus diverſæ naturæ minutis corpuſculis invicem arcte complicatis contextæ. Nempe quod in ſicca conſiſtentia reſinam refert, hoc fere totum, per 🜂m liquefactum ſeu attenuatum & reſolutum, 🝆♌. exiſtit. Res clara eſt per experientiam, quæ ex 🝆is ♌atis, per *ſpirit.* ⊖i, rectif. vel per 🝆 ⊕li, nunc reſinam perfectam, ut in 🝆♌. aniſi, aut pinguedinis humanæ, nunc concretum terebinthinatum, ceu reſinam liquidam, ut in 🝆♌. therebinth. nucis moſch: juniperi &c. repræſentat. Sicut idem manifeſtum evadit, ſi ex lignis medicamentoſis per S.V. probe rectificatum eſſentiam extraxeris, quæ facili labore vel cum 🜄 com. præcipitando, vel S.V. abſtrahendo in reſinam redigitur, ipſo reſiduo ligno, per retortam 🜂e aperto, more ſolito deſtillato, nullum vel parcum 🝆 ſuppeditante, quod alias copioſum & penetrans admodum fundebat, teſte, præter experientiam, *Williſio: tr. Pharm. Ration. p. 1. ſ. 5. c. 2. p. 214. & de ferm. c. 2. p. 16.* Jam vero 🝆♌ata, quæ mutata conſiſtentia per aliqualem coagulationem reſinas exhibent, nil aliud eſſe deprehenduntur, quam ⊖ia vol. a pingui occulte acido concentrata. Comprobant hoc non ſolum plura (nam de omnibus ſpecialis adeo nondum facta experientia) 🝆♌ta, v. g. ♀i. terebinthinæ, C. C. &c. quæ mediante cum alcalibus fixis digeſtione, in ⊖ vol. abeunt, ſed etiam fuligo, ex talibus 🝆is maximam partem conſtans, ⊖e vol 🝆ſo turgida. Nam quod ſub clauſo vaſe ♌ando ſeu per 🜂m liqueſcendo, abit in 🝆♌. empyrevmaticum, hoc in aperto 🜂e deflagrando abit in fumum & hinc maximam partem fuliginem. Hæc fuligo præter Phlegma acidum ſuggerit ſpiritum urinoſum, & ⊖ vol. acerrimum manifeſtum, & 🝆 empyrevmaticum, ſimile 🝆, ex ligno alias ♌ando. Scilicet quantum pinguedinis, ⊖ vol. in reſinam alias colligantis concremando deſtructum fuit, tantum ⊖ vol. contagio 🝆ſo adhuc affecti haberi poteſt, quantum vero reſinæ attenuatæ, 🝆 opropter defectum deflagrationis haud liberatum fuit, 🝆 fuligi-

fuliginis conſtituit. Scil. ut recte loquitur *Helmont. tr. Complex. & Miſt. Elem. figm. §. 33. p. 89. Fuligo eſt partim ⊖ vol. concreti, præſervatum ab inflammatione, propter ▽æ evolantis commiſtionem, partimque eſt* 🝆, *quod evolandi celeritate combuſtionem præterfugit.* Tandem compertum eſt, Vegetabilia aromatica, & quæ per veſicam ſimplici ♌atione 🝆 ♌, ſuggerunt, eadem fermentata, ſubminiſtrare illorum loco ſpiritus ardentes, ceu olea attenuata & in eſſentiali Phlegmate ſoluta, putrefacta vero, ſuggerere ⊖ia vol. urinoſa, ſatis copioſa, iſtis animalium ⊖ibus vol. ſimilima, oleoſæ nempe pinguedinis reſolutæ per putredinem, adeoque ſic ſimul acidi enervati, occaſione Ut adeo fere concludendum videatur, Reſinas & 🝆a, eſſentialiter non niſi conſiſtentia differre, utraque vero eſſe ⊖ia vol. 🝆ſa, ſeu 🝆i beneficio, ratione occulti hujus acidi, paulo intimius concentrata.

11. In ſimili concreto reſinoſo, cum conſiſtat vis opii, tam anodyna, quam diaphoretica, dividere illud, & utrique effectui, diſtinctum ſuum efficiens tribuere ſatagit *Helmontius*, ut ex ſupra allegatis manifeſtum eſt, adeoque 🜍i vim ſomniferam, ⊖i vol. acri ſudoriferam adſcribere. Equidem negari haud poteſt, ⊖ia vol. præſertim oleoſa, potiſſima eſſe, & efficaciſſima diaphoretica, eoque potentiora, quo acriora & penetrantiora, quæ effective ſanguinem alterando, & quaſi diſſolvendo, ſudoris rivos profundi faciunt, ut ſupra §. 3. inſinuatum fuit, & per experientiam hactenus confirmatum. Sed pro hoc effectu requiritur omnino determinata, eaque tanta eorum doſis, quæ univerſæ maſſæ ſauguineæ ad plures libras aſcendenti, vel immediate, vel (ſi hoc minus placeat) mediate (per præviam fluidorum in primis viis alterationem) alterandæ, plus minus ſufficiens ſit: quæ ad gr. xv. & ℈j. ſubinde ad ʒß. extenditur; ſed Opii ſive crudi, ſive quocunque modo præparati doſis medicamentoſa (nam de conſuetudinis legibus & alimenta & medicamenta multipliciter determinantibus, non attinet dicere) ultra 2. l. 3. gr. ad ſummum haud extenditur, raro ſiquidem hanc ſuperare ſolet Medicus, ſæpius infra ſubſiſtere, cum vj. grana funeſta admodum obſervata fuerint. Sane, ſicut non intelligibile eſſe recte *Helmontio* dicitur, *tr. Duumviratus* §. 5. *quomodo unicum*

opii granum, ſat frigoris in ſtomacho cauſetur, ſatque vaporis actualiter frigidi in caput egerat: ut nempe, ex Veterum quorundam aſſerto, ſomnum inducat; ita pariter haud conceptibile exiſtimo, quomodo unicum alterumve opii granum, etiam ſi purum ⊖ vol. eſſet, ſanguineam maſſam, quocunque modo alterare, & ſudorem provocare poſſit; Niſi continuato diutius opii uſu, ſucceſſive alteratio quædam ſanguini, & inde derivatis cæteris ſuccis inducatur, ratione cujus ad ſudoris vel urinæ uberiorem dimiſſionem plus minus diſponatur: uti exempla a *Williſ.* adducta, *Pharm. Rat. p.* 1. *S.* 7. *c.* 1. oſtendunt.

12. Accedit & hoc, quod ipſum propinatum opium neceſſario quasdam, plus minus tamen in viis primis ſubeat alterationes, tam in Ventriculo quam duodeno, unde ſi non infringi, certe non exaltari continget ejus efficaciam. Hinc enim quorum ſtomachus acidum digeſtivum intenſius ſpirat, minus ab opio alterari ſolent, quia hoc magis ſubigitur, vel ab acido quaſi caſtratur. Unde nec adeo commode Opium, quamvis humorum acrimoniam corrigere vel infringere dicitur a *Sylvio:* l. I. prax. c. 15. §. 26. 27. 37. & 48. obſtante exilitate doſeos, pro notabili adeo effectu, etiamſi repetitis quoque vicibus propinandum foret. Ut taceam alias rationes *Williſio* P. R. Vol. I. ſ. 7. c. 1. p. 291. allatas.

13. Haud equidem me latet, minima ut plurimum maximorum morborum eſſe initia, & mole minimum corpuſculum, maximos effectus præſtare poſſe: atteſtantibus id aperte, alia ut taceam, venenis, in minima mole pernitiem univerſo corpori minitantibus: confirmantibus hoc contagiis, ſub minimo & nullo perceptibili ſenſuum miaſmate, univerſam corporis œconomiam turbantibus, tam acutos quæ excitant morbos, ut febres malignas, quam quæ chronicos, ut in lue ♀ea & ſcabie manifeſtum eſt. Ita e contrario, & minimum ſubinde eſt medicamenti, a quo maximus & inſignis effectus pro univerſi ſalute dimanat, quod ſub reliqui corporis cortice tanquam exili ut ut pretioſiſſimus nucleus eſt reconditus. Sed iis remediis, quæ alterando contenta corporis, & ſanguineam maſſam in craſi & conſiſtentia ſolita (ſaltem ad tempus) immutando, operari debent, idq; corporali ſeu materiali ſui miſcela

ac contactu qualis modus in opio, ratione ⊖ ſui volat, acris, putati ſudoriferi, omnino requiritur, iſta minimorum, qua talium, maxima agendi potentia minus applicari poteſt. Talia enim minima agentia, operantur ſaltem, vel quatenus vi alterativa & plus minus fermentativa immutare contenta, vel acutiſſima ſui textura irritare ſenſibilia ſolida poſſunt. Neutrum opio convenit: non irritat, ſed irritationis ſenſum potius tollit: non fermentat, quia nullum talis effectus veſtigium in corpore obſervabile ejusque contentis eſt. Adeoque ad agentia iſta maxima, ſub mole minima, referri nequit.

14. Equidem inanis videri poſſit ille labor, qui virtutes operandi ex certis ingredientibus ſeu partibus integralibus concretorum inveſtigare ſatagit, cum quælibet proprietates rerum, & inde agendi qualitates, tam occultæ dictæ, quam manifeſtæ putatæ, fluere e gremio ſeminum, recte dicantur ab *Helmontio*, *tr. progym. meteor.* ʃʃ. 28. unde etiam non niſi a ſeminali virtute, tam vis ſoporifera, quam diaphoretica opii derivanda erit, unde etiam *ſeminalem dormitivam vim* opio adſcribit is ipſe, *tr. Natur. contr. neſc.* §. 37. Sed ut ut agens ſeminale, in minimo fundatum ſit, cum ſui corporis ſaltem 2800. pars eſſe dicatur; tamen cum ens materiale revera, exiſtat, adeoque & generaliſſimis materiæ proprietatibus omnino obnoxium ſit, (formali licet agendi poteſtate in concreti generatione inſtructum,) prætereaque corporum genitorum proprietates quæcunque, non niſi materiæ ſpeciatim contextæ beneficio immediate explicentur, ac ex ſpeciali talis materiæ textura immediate fluant, & non niſi ab illa proxime dependeant. Pro ipſius quoque principii ſeminalis conſervatione, certa materiæ cui ineſt diſpoſitio, ſeu textura materialis requiratur, qua deſtructa, & ipſa vis ſeminalis perit, unde △is ſeminum deſtructor dicitur *Helmontio*, forſan quod ſeminale concretorum principium, non niſi ſub ♀eo deliteſcat tegmine, proxime ab △e quod retexitur. Ipſæ denique rerum multiplices proprietates tam ſpecificæ ſeu ſingulares, quam pluribus aliis communes, pro concreti textura materiali plus minus mutatæ & alteratæ, etiam & ipſæ mutabiles exiſtunt. Sane ob dictas cauſas, vis corporum operativa, non niſi in certis materiæ, ex quibus conſtant, particulis, & ſpecifica harum textura proxime inveſtiganda venit, ut ut originaliter virtuti ſemina-

mina-

minali, omnia iſta adſcribenda veniant. In Opio ergo, ut ut cum tota papaverina planta; & quibusvis ejus partibus, tam ſolidis quam liquidis, & quibusvis earum proprietatibus, a ſeminali potentia vis ſudorifera & ſoporifera omnino dependeat, tanquam a primo efficiente, proxime tamen, in materia ſeminali ſeu formali per ſeminale ens facta textura, utraque conſiſtit. Unde etiam pro mutatione texturæ illius Opii ſpecialis materialis, ſecundum ſimplices mechanicas aliasve communes modificationes, ab aliis agentibus factas, tam vis ſudorifera, quam anodyna v. g. caſtrari per acida, aut nonnihil mitigari & corrigi per alcalia aſſolet.

15. Cum itaque Opio nullum jus ſit alterativum in ſanguinem, pro eliciendo ſudore, proximum eſt, ut conſideremus, qua ratione cutim pro ſudoris adjuvanda excretione afficere valeat. Quo in negotio alius ſupereſt nullus modus, niſi ut tubulorum excretoriorum ac pororum aperturam, glandularum laxitatem, & hinc cutis raritatem promoveat, adeoque nervoſorum ſtaminum relaxationi inſerviat. Jam vero ex ſupra oſtenſis c. 1. §. 10. manifeſtum evadit, opium nullam partem ſolidam qua talem, adeoq; nec cutim, in excretionis negotio adeo notabiliter efficere poſſe, adeoq; nec fibrarum laxitatem, nec earundem contracturam efficere, cum huic operandi modo & rationes eædem, quæ modo contra ejus in ſanguinem activitatem allatæ, repugnent. Neceſſario ergo ſequitur, cum ipſum cutis reticulum afficere nequeat, nec contenta fluida alterare, in ſpiritus animales, fibras cutis vario tono moventes opium ſaltem agere, & horum adeo ratione, ſicque mediante ſaltem fibrarum laxitate, hinc cutis mollitie, laxa glandularum ſpongioſitate & tubulorum excretoriorum apertura, ſudoris profuſionem præſtare.

16. Supra ſcil. explicatum fuit, c. 1, ʃ. 12. Opii uſu, certam ſpiritibus animalibus quaſi ſegnitiem & torporem, indeque in movendis partium organicarum fibris languorem induci, quo ipſo vel ſponte ſequitur, eodem remedio & fibroſorum cutis ſtaminum tonum & tenſionem adeo relaxari, ut flaccidiore hinc reddita cute, & copioſius emulgere ex M. S. glandulæ, & uberius per tubulos excretorios excernere valeant. Paucis ut rem explicem, Opium per accidens, aperturam pororum ſudatoriorum procurando, uberius ſudoris profluvium emanare adjuvat.

17. Ut

17. Ut aſſertum hoc noſtrum pateat clarius, ſomnus in confirmationem ejus accedat, qui promtiſſime ſudores profluere facit ſpontaneos, etiam in iis, qui vigilantes tale quid haud ſentiunt, aut interdum non abſque labore & difficultate elicere valent, utut quasvis alias excretiones ſiſtere ſoleat, ut jam ſupra monitum. Languet in ſomno ſpirituum impetus, visque eorum elaſtica, unde debiliori radio emanando, & ſaltem motibus ſic dictis naturalibus pro neceſſitatis vitalis ſaltem urgentia inſerviendo, minus tendere cæteras motrices fibras pro motu animali in partibus præſertim exterioribus valent, indeque tardiorum fluidorum motum localem hoc ipſo procurant, qui utut ceſſet quibusvis aliis in locis, per apertiores tamen tunc cutaneos meatus, ex remittente fibrarum ſtringentium tono, uberius profluit, & ſudoris latice corpus largiter irrorat. Somnum talem arte conciliant opiata, unde clarum erit, quod & ejus conſequens, ſudoris profluvium, modo contenta fluida rite ad talem excretionem diſpoſita fuerint, parili ex ratione ſuperveniat. Hinc ſcil. opiatorum ex uſu, ſudor emanare vix obſervatur, niſi ſomnus illorum effectu vel obrepat, vel debita ſaltem quies aut indolentia, aut laſſitudo quædam corpori, ejusque partibus concilietur.

18. Illuſtrant præſens negotium ſimiles ſpontanei Syncopizantium pariter ac agoniſantium ſudores. Utut enim ex ſangvinea M. non æque hi elici ſoleant, *cum morientium ſudor*, autore *Helmontio*, *tr. Latex humor neglect.: non ſit tam latex in ſui natura, quantum ros alimentarius reſolutus, cui mors imperat, quod patet, nam ſtatim corporis habitus ſidit, prout & in ſyncope.* Quod pariter de pavidorum & perterrefactorum frigidiuſculo madore pronunciandum. Non tamen, niſi ex pororum hiatu, a fibrarum relaxatione nimia, ſpirituum moventium, ſive illas tendentium ex defectu, ſpontanei hi ſudores erumpunt. Nempe jam olim *Hippocr. ſ. 5. aph* 71. annotavit, *quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur, quibus v. laxa & rara, cum ſudore* vita defunguntur. Hinc iſtis & urina interdum involuntarie perfluit, aut alvus absque prævia a monitione ſecedit. Iracundis ex oppoſito, vel furioſis, ſudor nullus, ſpirituum ob concitatiorem impetum, & fortiorem fibrarum tenſionem.

19. Pa-

19. Parili ex ratione & magnis in doloribus, præſertim capitis, aliarumve partium vel ſenſilium, vel cum nervoſo ſyſtemate ſingulariter conſentientium, obſervavi, corpore etiam quieto exiſtente nullum ſudorem prolici potuiſſe, niſi forſan pernitioſum, & quaſi ſymptomaticum, eumque vel parcum vel ſaltem particularem. Non ſecus enim, atque talibus occaſionibus, ex continuata ſpirituum agitatione ac motu, ſomnus impeditur, etiam non interrupto eorum in quaslibet partes, adeoque & cutis poroſa ſtamina influxu, fortior horum tenſio, tubulorum ſudatoriorum occluſio, & inde ſudoris ſuppreſſio ſecutæ fuerunt.

20. Ea, quæ nos ambientia ſudoris profluvium evocare ſolent, modo dicta roborant. Eminet hic calor ambiens, tam ſtragulorum, quam hypocauſti, aliove artificio inductus. Fundi equidem hic ipſe & rarefacit corporis fluida, & ita ad excretionem ſub ſudoris forma, eadem potenter diſponit. Sed hæc ratio ſola haud ſatisfacit, quin conſiderandum ſimul videatur, caloris titillantem quaſi motum, in tantum ſuavitatis conferre cutaneis fibris, in quantum moleſtiarum a frigore patiuntur: uti itaque hujus occurſu irritatæ fibræ tendi, hinc pori quilibet occludi ſolent, ita illius grata applicatione, demulceri ſenſus, indeque relaxari iſtæ, & ita ſudoris portæ aperiri denuo videntur. Madeat enim, & tantum non diffluat ſudore corpus ſub ſtragulo, ſimul atque aëri liberiori hoc ipſum expoſitum fuerit, dictum factum, in naturaliter ſe habentibus obturari ſudoris fontes videas, utut internam ſanguinis fluctuationem, tam fermentativam, quam progreſſivam pulſus adhuc commonſtret; quam aura ambiens frigidior tam cito alterare non valet. Blanditiæ econtra moderati caloris, uti amicæ ſunt univerſo ſyſtemati nervoſo, cui frigus inimiciſſimum exiſtit, ita ejus occaſione minus tendi, potius relaxari plus minus videntur fibræ, etiam intercutaneæ, & tali occaſione ſudor promoveri.

21. Par ratio eſt illius Phænomeni, ſi ſub ſudorum effluxu, manus vel pes denudetur, & exponatur frigori, non raro ſudoris rorem breviter evaneſcere obſervamus in reliquo corpore, aut notabiliter ſubinde ſaltem imminui. Contrarium fit, in diffi-

difficilius paulo ſudantibus, quibus calida, v. g. later calefactus, plantis pedum admotus, mirifice ſudorum proventum adjuvat. Scil. mirabilis eſt membranarum univerſi corporis inter ſe, ſpeciatim cutis cum omnibus ſuis partibus conſenſus, continuatam quatenus conſtituit telam, unde ejus extremitate affecta ſenſilius, & reliquam texturam ſimul idem quaſi ſentire & pati obſervamus. Sane dum febrilis horror, frigusque univerſam cutim convelli, aut criſpari facit, tamen ℴℴ ℒ. caryophyll. epigaſtricæ ſaltem regioni illitum, mirum levamen, & in univerſa corporis peripheria horroris remiſſionem procurare ſolet. Aut ergo per conſenſum partium quarundum circa iſta præcordia, univerſa cutis febrili rigore riget, aut per conſenſum certe talium partium ſolum illitarum curatur. Plantarum præſertim pedum mirus cum univerſo ſyſtemate nervoſo & partibus membranaceis quibusvis notatur conſenſus, dum pavimento frigido inambulantibus, aut alvum laxari, aut inteſtina torqueri contingit. Caput etiam cum imis his partibus conſpirat, unde & illorum noxam caput ſui dolore, quaſi lugere videtur, cum pediluvia interdum hujus dolorem leniant, & ſuavi ſomno temperent. Prout ergo conſenſus talis ratione, cum brachio aut pede bene maleve affecto, reliqua cutis vel blando vel moleſto ſenſu afficitur, etiam vel relaxari hinc ſudoris tubuli, vel claudi & ſtringi ſolent plus minus: accedente tamen ſimul ipſorum corporis contentorum ſenſili plus minus alteratione, & hinc pro tranſudatione faciliori vel difficiliori diſpoſitione, cum externa iſta, æqualiter fere tam nervoſas extremorum partes, quam qui per eas ex arteriolis in venulas circulatur, ſanguinem afficere videantur.

22. Corporis quies, quantum ad ſudoris provocationem, per medicamenta inſtituendam, faciliorem neceſſaria ſit, ex eo patet, quod inquieti qui ſunt ægri, & membra totumque corpus incondite jactitant, nunquam ſudoris effluxum experiantur, etiam poſt generoſiſſima propinata remedia. Crebriori enim iſta jactatione membrorum, multiplici ab obiectis externis toties mutatis ſimul impreſſione, inæqualis ſpirituum provocatur motus, externam ad corporis peripheriam, quorum impetu ſtringuntur pori, &

clauduntur ſudatorii tubuli. Quiete autem ab opiatis conciliata, fauſtus ut plurimum ſudoriferorum ſequitur effectus. Optime memini, Expertiſſ. iſtum Practicum, *B. D. Michaëlis*, in febribus malignis, ſi inquieti ſint ægri, diaphoreticis, & alexipharmacis Opiata, & addidiſſe, & ejus imitationem nobis ſuaſiſſe, quod felicius tunc operari obſerventur ſudorifera. Hinc memoranda eſt *J.D.Horſtii Judic.de Chir.Infuſ.* §.17.ſententia, *in febribus malignis petechialibus, variolis, &c. Opiata utramque paginam abſolvunt, & hinc graviſſimorum autorum conſenſu & experientia multiplici conſtat, maxime palmarium robur Theriacæ &c. accedere Opii miſcela.* Nempe, ut modo laudatus Vir differit, *Opiatorum* ♀, *a quo ſpirituum motus efferos, & concitatioris ſanguinis turbas, frenandi, domandi, & ſopiendi vim obtinet, feliciter ſudorem deſideratum conciliat.*

23. Negari equidem nequit, ſub fortiori corporis motu, vel exercitio, ſudare omnes profuſiſſime : ſed diſpar plane hujus in ſanis, ab illo, qui in lectis ex ægris eliciendus, ſudoris eſt ratio. Ibi rapidiſſime circumrapta, & attenuata ſanguinea maſſa, vincit fibrarum cutanearum, intenſiore calore ſuaviter affectarum, & copioſiore humore irroratarum mediocrem reſiſtentiam, ſpirituum copiis in muſculis, tam cordis quam artuum movendis, magis occupatis, unde nil miri, ſi copioſius effluat ſudor. Aliter longe cum ægris, vel lecto decumbentibus res ſeſe habet, in quibus minor impetus ſpirituum ad muſculos, maior ad fibras membranaceas & intercutaneas, in illis præſertim ægris, in quibus ſyſtema nervoſum magis affectum a fermento febrili v. g. cum inquietudine & jectigatione, fibras undique ſtringit, de quo infra pluribus.

24. Illuſtrant hactenus dicta non mediocriter ea, quæ circa urinæ excretionem, & hujus pathemata, quotidie fere in praxi obſervabilia ſunt, ſicut alias urina & ſudor in pluribus conſpirare, & unius ſuppreſſionem excretio alterius, quaſi ſupplemento certo excipere ſolet. Nempe quod urina interdum ſupprimitur, aliam nullam ob rationem, niſi quod pertinacius ſtringantur renum nervi, & hinc quaſi corrugentur eorum fibræ, & occludantur tranſcolatoria oſcula, quo ſpaſmo ex Opiatorum uſu remittente, &

te, & hiant denuo meatus, & ordinario tramite tranſcurrit urina. Notabile hujus rei Phænomenon obſervare ſubinde licet in calculoſis, quorum altero affecto rene, & a calculo in pelvi hærente interrupta urinæ via, & alter ſocius ren, bene valens officium negligit, adeo ut penitus hinc ſequatur urinæ ſuppreſſio; id quod & *Foreſtus l.* 24. *obſ.* 26. hujusque *ſchol.* obſervavit, pariter ac curioſum occurrit exemplum in *Act.Med.Hafn.* Vol.4.obſ.33.p.102. Ad ſympathiam ſeu ad conſenſum partium mutuum referre hoc ſolent Practici: idque, meo judicio, recte. Sed quid eſt *ſympathia* Græcorum, Latinorumve *Conſenſus* inter partes corporis mutuus, quam quod parte una p. n. quid ſentiente, alia idem ſentiat: ſenſationis omnis externæ quidem, qualis hic ſaltem locum habet, ſubjectum ſunt fibræ nerveæ, harum ergo ratione pars parti conſentire, ſeu idem omnino ſentire videtur. Scil. Conſenſus, ſeu in ſenſatione quædam communio, præſupponit ſenſum; ſenſus vero præſupponit fibras nerveas ceu organa ſenſus: adeoque conſenſus proprie dictus eſt ſimpliciter ratione nervorum, improprie dictus vero eſt, qui ex metaſtaſi varia vel cauſarum occaſionalium vel productorum morborum oriri ſolet. Renes ergo, cum nervos, ſenſationis organa habeant, partim utrinque ex propriis renalibus plexibus, partim vero ſimul ex plexu meſenterii maximo, Falloppiano alias dicto, conf. *Williſ. Anat.Cereb.& nervor. Tab.XI p.*263. ſane hujus ultimi ratione, facile unius renis affecti, & hinc irritati nervorum ſpaſmus ſeu criſpatura convulſiva, alterius renis nervulis communicari, & hinc utrinque idem effectus fibrarum & meatuum renalium contracturæ excitari poteſt. Nam parili ex ratione, & renum calculum Vomitus, & Iliaca convulſiva tormina non raro comitari ſolent, ac contra. *Conf. Drawiz.* vom Schmertz-machenden Scharbock. *Tit.* 9. *p.* 370. Sed remoto calculo, & ceſſante irritatione fibrarum nervearum in renibus, vel ſopito aliquandiu per opiata malo, & urinæ redit tranſitus, & melius hinc habent ægri. Lucem hinc acquirunt obſervationes iſtæ, non curioſæ magis, quam elegantes, de uſu Opii diuretico in Aſcite, alias ceu lethali hoc in affectu proſcripti, relatæ a *Bartholino cent.* 3. *epiſt.* 46. *p.* 192. & *ep.* 49. *p.* 201. cum quibus conf. ſimul *Willis: Pharm.Rat.*

p. 1. *ſ.* 7. *c.* 1. *p.* 302. Nempe, talibus in caſibus, non alia ex ratione urinæ promoverunt fluxum, quam vi ſua, ut vocant, anodyna ſpirituum ſufflaminando impetum, fibrarum nervorumque renalium ſpaſmum inhibendo, & hinc per apertiores redditos meatus, urinæ fluxum procurando: ſicut in ultimo *Williſii* exemplo, (propter internam ſucceſſivam forſan contentorum alterationem) ſudor & urina in deſperato hydropico promanantes ex Opii uſu, unam eandem efficientem cauſam, tam per ſe, quam per accidens talem agnoverunt.

25. Occurrit pro dictorum confirmatione Phænomenon, quod ſuperioribus annis, in mercatore hujus loci haud ultimæ notæ obſervare contigit. Laborabat hic ipſe gravi dolore lumbari in latere ſiniſtro, ad vicinam regionem ſe extendente, & protenſo ſimul deorſum ad pubem, rodente, urente, & miſere torquente, interdiu fere quieſcente, noctu vero præſertim a media nocte, crudelius & tantum non intolerabiliter affligente, adeo ut lecto ob id ſurgere, & deambulando, aliaque ratione inſomnes noctes, & dolore moleſtiſſimo infenſas fallere cogeretur. Hoc inprimis notabatur evidenter, quoties dolores noctu urgerent intenſius, toties urina matutina excernebatur tenuis, pallida, ſeu moderatiſſime citrina, eaque parca admodum: quoties vero vel Balnei ▽ dulcis tepidæ, vel anodyni Opiati uſu, nox quieta, absque dolorum urgentia procuraretur, urinæ mane inſequente intenſius tinctæ, rubicundæ, cum copioſis ⊖ibus cryſtalliſatis Urinalis parietes incruſtantibus viſui occurrebant; ſed recrudeſcentibus doloribus, mox urina pallida, tenuis, pauca mane viſebatur. Nullus aderat calculus. Oriebatur ſaltem malum ex ⊖ibus ſcorbuticis acido ⊖ſis, renes & vicinas membranoſas partes rodentibus. Fibræ ob id partium vellicatarum ſpaſmo criſpatæ, & contractæ, pororum anguſtiam inferebant, quas non niſi latex urinarius ſolus, absque contentis ſeu imbibitis ⊖ibus pertranſire poterat: aſt ſi Balnei vel Opii uſu laxarentur denuo fibræ, & pateſcerent renales meatus, ⊖ibus ſcorbuticis ſaturata transmittebatur urina. Veriſſimum ſcil. eſt, ex affectu ſpaſmodico a ⊖ibus ſcorbuticis, nervoſo generi infenſiſſimis, adeoque tam in partium urinariarum,

quam

quam abdominis doloribus præter alias occaſiones ſupprimi poſ-ſe urinam, ut accurate hoc annotavit *Drawizius l. ſupr. cit.*

26. Videntur ſufficere, pro confirmatione partim, partim pro illuſtratione aſſerti noſtri, Opiata ſudoris profluvia excitare ratione ſpirituum animalium, ſiſtendo illorum impetum, undecunque excitatum, & hinc tollendo ſpaſmum ſeu contracturam fibrarum nervearum cutis rete ex parte componentium, adeoque removendo pororum conſtrictionem & vaſorum glandularum intercutanearum excretoriorum occluſionem. Sub quo tranquilliori ſpirituum motu, & pacatior ſtatus in tota Republica microcoſmica obſervabilis eſt. Remittente enim undique fibrarum, ceu ſtaminum partim ſolidarum, aut fundamentalium, aut compoſitionem mechanicam ſaltem firmantium, tenſione fortiori, permeabiliores undique fiunt meatus, etiam alias exiliſſimi, promtius faciliusque quaquaverſum penetrant contenta liquida quæ libet, & perſpirabilius univerſum ſic redditur corpus. Ipſum ſanguinis Nectar, vel febrili turgeſcentia & quaſi ebullitione, rapidius per vaſa raptum, aut fomentorum ac ſtragulorum calidorum applicatione notabiliter alteratum, & ad ſudoriferi laticis dimiſſionem diſpoſitum, ſub tali corporis ſtatu (ſub quo & nimia efferveſcentia acutiori ſub febre, conturbans totam ejus maſſam, moderatior ordinario obſervatur) liberiori motu undique corporis perreptat latebras, ſpeciatim intercutaneas in glandulas ſeroſam ſarcinam, & hujus ſub involucro, quælibet heterogenea ſeparata, & quaſi ex ejus maſſa præcipitata recrementa, copioſe deponit, quæ ſudoris in rivulos pedetentim concreſcit & effluit.

27. Saltem qua ratione & modo in ſpiritus agant Opiata, ita ut ſub exigua adeo ſui mole, inſignis ſequatur alteratio in toto illorum ſyſtemate, inquirendum ſupereſt. Aſſerta & explicata fuit ſuperius textura Opii pinguis ſeu 🝆ſa vel 🜍ea, quæ pro more concretorum 🝆ſorum, ſpeciatim 🝆rum Ωatorum, in minima mole latiſſime diffuſiva exiſtunt: declarat hoc, v. g. 🝆 Ω. aniſi, rite cum vitello ovorum ſubactum, cujus quot ſunt guttæ, tot fere ▽ſimpl. menſuras, odore, ſapore & nonnihil colore imbuere ſolet. Tale 🝆 eſt ſaltem reſina vi ▽is liquefacta, & a craſſiore re-

 liquo

liquo corpore ſeparata, qualis reſina condenſata adhuc & ita concentrata viget in Opio, cujus ☍ſæ reſinæ ratione quoque latiſſime diffuſibiles & explicabiles exiſtunt Opii atomi ſeu minima, quæ dum in minimo undique ſe diffundunt, fere odorum inſtar latiſſime ſe explicantium, undique penetrantium, & obvia quæque plus minus afficientium ſe habere videntur. Vnde etiam probabile videtur, ab odore tali ſubtiliſſimo, qui ſolidas partes minus tactu, ob ſubtilitatem afficere, liquidas ob perexiguam molem minus alterare valet, ſaltem ſubtilem & delicatam ſpirituum texturam, ab odoriferis omnium maxime alterabilem, affici, & mutua utrorumque aſſociatione notabiliter immutari. Odorifera hæc Opiatorum vis ſenſibiliter ſe explicare obſervatur, ſub ejusdem ſecundum *Langelotti* methodum *in Epiſt. ad Curioſ.* præparatione & quaſi fermentatione. Nec ignota fuit veteribus, cum jam olim & *Dioſcorides* illam obſervarit, de Opio referens, odorem ejus toto corpore expandi.

28. Subtiliſſimorum talium odorum vis, tantum non ſenſibili effectu ſe exſerit, in ſumme debilitatis, & lipothymicis, quos odor vini generoſioris, vel cujusdam aromatis, ▽ Cinamomi penetrantioris, tantum non ad vivos revocare videtur. Pariter atque zibethi, moſchive odor, hypochondriacæ ſuffocationi obnoxias mulieres repentina ſyncope examinat, quas caſtorei plurimarumve incenſarum odor volatilis denuo reſtituit, utut inſigniter ægrarum idioſyncraſiæ hic varient. Odor dico, quatenus ſpiritus animales in Odoratus corporeo organo ſenſilius afficit, ſtupenda talia concitat ſymptomata. Tantum enim abeſt, ut in ſubſtantiis aſſumta talia hoſtilia ſint iſtiusmodi fœminis, ut etiam paroxyſmos hyſtericos dictos, efficaciter ſiſtant & refrænent, Comprobat hoc Experimentum *Horatii Augenii*, Medici olim Eruditisſimi, quod refert *l.* 12. *Epiſt.* 7. quodque eum nunquam fefellit: Rec. moſc. optim gr. v. cinamom. caryophyll. nuc. moſch. ana ℈j. M. in Vino odorato miſta hauriantur: in quo loco etiam pilulas de moſcho, ceu præſidium efficacisſimum commendat. Sed cave ſis, ne forte nares feriat talium Odor. Sane umbi-

umbilico illita zibethum vel moſchus *Paracelſo*, ad hyſterica talia mala, laudantur. Plura quoad odorum mirabilem efficaciam vid. ap. *Helmont. tr. imag. ferm. impragnat.* §. 16. & ſeqq.

29. Præſtant tam ſingularia odores, dum per organorum ſenſilium tranſennas ſaltem ſpiritus afficiunt, quid non facient, propiori ſub contactu ac miſcela, ſi invicem coire illis datum fuerit. Utroque modo efficaciam ſuam exerit opium. Quoad internum uſum res alias nota eſt; externe turundæ in forma, granum unum atque alterum laudani naribus inditum, profundiſſimum bidui ſomnum inferunt, teſte *Timæo caſ. l. 2. caſ. 9.* ut taceam poma ſomnifera, ſpongiasque hypnoticas naribus pro arcenda agrypnia identidem admovendas, Practicis quibusdam uſitatas. Sub tali ergo odore ſubtiliſſimo Opiata agunt in ſpiritus animales, quorum materialem texturam ſeu conſtitutionem, indeque dependentem impetum elaſticum ſpeciali ſua textura, ſeu ſeminali dote, ut alii vocant, adeo alterant, & quaſi irretiunt, ut a debitis expanſionibus remittentes, minus fibras ſenſorias aut motorias tendere ſuſtineant, quia moderatiori ſub motu, ſomni larvam induunt.

CAP. III.
Dubia nonnulla diluit.

THES.

Opium ſubinde Vomitum provocare, ſeceſſum & Urinam promovere, Lochiorum fluxum adjuvare, ſudores ſupprimere, criſes minus impedire, obſervatur. &c.

§. 1.

SOmno tam naturali, quam Opiatorum artificiali, quasvis excretiones, adeoque & vomitus ſiſti, ſupra innuimus, experientia quotidiana confirmati. Obſtaculum non leve

ve contra aſſertum hoc ſe offert ex eo, quod poſt Opiatorum veſpertinum uſum, vomitus matutinus, quin & interdum alvi fluxus inſecutus fuerit, id quod & *Helm.*, non leviter alias Opio favens, obſervavit, tr. *jus Duumviratus* §. 62. & crebriori experientia in hoc confirmatus fuit *Rolfinkius Chym. l.* 4. *ſ.* 3. *c.* 6. *p.* 248. *Conf.* ſimul eleg. *obſerv. Celeb. Wedelii: Opiolog. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 5. *p.* 92. Sed conciliatio apparebit facilis, modo conſideremus, opiata irritationis ſenſum, in Pyloro præſertim ſopiendo, & ſpirituum animalium motum ſiſtendo, adeoque fibrarum ſpaſmum præcavendo, per ſe Vomitus compeſcere, per accidens vero interdum, ſaltem ubi priores iſtæ operationes jam ceſſaverint, eundem ſtimulare.

2. Conſiderandus hic venit Opii ſapor amariſſimus, acris, in ſubjecto viſcidiſſimo hærens, qui ob id non niſi difficulter ex lingua, poſt levem etiam guſtatum elui poteſt. Amarities iſta ſingularis & ſpecifica, ut inimica exiſtit Linguæ, ita hoſtilis admodum eſt ſtomacho, alias quævis amara, ſpeciatim viſcida horrenti, cum acidis inprimis delectetur. Tetrum illum ſaporem mox horret Ventriculus, & nauſea hinc concitata ſive guſtatum ſaltem, ſive aſſumtum fuerit Opium, tædium iſtud confitetur. Parili fere ratione, atque rhabarbari, aut aloës, ſcammoniive odorem & ſaporem amaricantes ſingulariter mox nauſeat ſtomachus, adeo ut quaſi peculiarem tactum ſive guſtatum, ſecundum *Williſium: Pharm. Rat. p.* 1. *ſ.* 2. *c.* 1. vel odoratum juxta *Helmontium, tr. Cuſt. Err.* §. *ult.* habere videatur. Nauſea iſta ſopitur quidem aliquandiu primitus, quouſque nempe Opii in ſpiritus viget actio, indeque & ſenſilitas fibrarum ventriculi, & ſpirituum movendi eas nixus aliquantiſper ſufflaminantur. Aſt ni particulæ iſtæ hoſtiles, interea haud correctæ aut ſubactæ fuerint, ſed viſcidiore illa textura pertinacius agglutinatæ hæreant adhuc interiori nerveæ ac admodum ſenſili ventriculi tunicæ, facile moleſtæ iſtius continuæ impreſſionis occaſione provocari ſpirituum impetus, & ſub regimine pylori ſpaſmus ventriculi, adeoque vomitus concitari poteſt. Confirmat hoc meum aſſertum non leviter, quod ab Opio pilulari in forma exhibito, & præſertim ab eodem ſpiritu vini ſaltem præparato, vomitum inprimis cieri obſervavit *Wedelius Opiol. c. l. p.* 92. & 93.

Viſci-

Viſcidiſſimam enim & amariſſimam ſub hac præparatione opium retinet texturam, & quæ pilulari in forma diutius in ventriculo hæret, & non niſi ſucceſſiva diſſolutione corrigitur, adeoque diutius & ſenſilius parietes illius membraneas afficit. His modo dictis, ſocianda ſimul & alia concauſa, qualitas nempe & ſitus recrementorum præternaturalium, circa primas vias plus minus ſtagnantium aut turgeſcentium, qui mediante Opii operatione in ſpiritus, in motu ſuo plus minus oppreſſi, illa ceſſante, denuo & interdum atrocius quam antea, commoti, ſimul vomitum, in ſtomachante jam ventriculo promovere ſolet.

3. Sane non leviter hoſtile videtur ventriculo Opium, cuius ut digeſtionem ordinario turbare obſervatur, ita etiam gravaminis ac compreſſionis, circa ventriculi regionem, ſenſum, & vix explicabilem ab ægris moleſtiam circa præcordia Opiata inducere ſolent, idque præſertim ſicca in forma, omnium maxime Pilulari ſi propinentur. Manu ergo hæc ipſa nos ducunt, ad legitimam Opii, quoad hoc punctum, correctionem, ac præparationem. Textura nempe viſcida & glutinoſa reſolvenda, adeoque quatenus 🝆ſa ſeu 🜍ea ad faciliorem ſui diffuſionem, ſimulque quaſi promtiorem difflationem redigenda, & liquidæ eſſentiæ ſeu Tincturæ ſub forma propinanda. Promtioris ſic operationis evadit remedium, & quod ſine diuturniore in ſpiritus actione confortativi potius, quam ſtupefactivi rationem habebit, ac abſque ſingulari ventriculi, primarumque viarum moleſtia, cito, tuto, & jucunde curabit. Quas intentiones haud melius aſſequi poſſumus, quam applicando generalia iſta mechanica (ſi non ſemper Naturæ, revera tamen) artis inſtrumenta, acidum & alcali. Illud agendo primario in alcalinas Opii particulas & hinc etiam in 🝆ſas, illarum medio univerſam eius texturam alterando, urinoſum nempe vol. figendo, 🝆ſum vero condenſando, caſtrat & plus minus enervat generoſam alias medicamenti energiam. Idque eo magis, quo potentius acidum fuerit, quale iſtud mineralium eſſe ſolet, unde acetum Ω ſaltem in hac præparatione, aut citri ſuccus eligendus, utpote ex eadem cum Opio, vegetabili nempe proſapia. Parilis acidorum vis & in purgantia obvia, quæ omnia ab acidis, præſertim in-

tenſioribus aut fixioribus caſtrantur inſigniter. Præſtat ergo, pro ſupra inſinuato ſcopo, ad Laudani ex Opio præparationem adhibere alcali quodcunque fixum, v. g. ⊖ 🜿 ceu generalem omnium vegetabilium deleteriorum aut Oeconomiæ noſtræ hoſtilium, tam ſolutivorum, quam ſtupefactivorum, aliorumve correctorem. Agit ſcil. hoc ipſum, ſive ſicca, ſive humida in via procedatur, in Opii texturam reſinoſam, attenuat hanc ipſam nonnihil, diſſolvit 🝆ſum, viſcidum incidit, acidum temperat, hinc nimiam acrimoniam corrigit, ac ita totum concretum promtius ſolubile & undique diffuſibile, uti & cuivis fluido permiſcibile reddit. Corrigitur hoc ipſo ſimul acris & nauſeoſa ejus amarities, mitiorque & minus inimica ventriculo redditur. Adeo ut conſiderationem ulteriorem mereatur omnino, utrum acrimonia iſta reſinarum, aromatum, purgantium &c. non ſecus ac opiatorum, non ex acido potius, quam ex alcali derivanda veniat. Cum quotidie obſervemus, 🝆ta a calcinatis rectificatione mitiora & minus acria evadere. Correctum ſic per alcalia Opium, optime ſpiritus vini beneficio, in eſſentiæ Tincturæve conſiſtentiam redigitur, commode vel ſub hac facie propinanda, vel imbibendo eadem pulveres quosvis, in pulveris larva obvelanda, aut ſpiritus dicti abſtractione in extractum redigenda. Sunt nonnulli, qui ulterius ⊖ 🜿i, vel 🜊 Vini, vel ipſum Vinum addere amant, pro exactiori Opii correctione, methodo omnium certiſſima, qua optime præparatum Opium tutiſſimum evadit remedium. Vereor autem, ne nimis cicuratum Opium debilioris aut tardioris pro vehementius interdum urgentibus ſymptomatis operationis fiat. Dum ergo tam laudabiliter corrigitur Opium a ⊖ 🜿i, fixo, quid non ſperandum erit de eodem volatiliſato? penetrantioris omnino & potentioris hinc activitatis. Cujus locum interea ſuppleat, ⊖ 🜿i triplo 🝆 terebinthinæ probe impregnatum, & ita quaſi elixiratum; Præparatio revera, quæ non abſque præmeditata ratione primitus ordinata fuit a *Starkey* peritisſimo Chymiatro Anglo, & crebriori poſtmodum experientia confirmata plus omnino in receſſu habet, quam ut obiter a *Williſio: Pharm. Rat. p.* 1. *ſ.* 7. *c.* 3. ad empiricorum remedia referenda ſit.

4. Quæ

4. Quæ modo de vomitu Opiatorum uſui interdum ſuperveni- enti explicata fuerunt, eadem pariter excretionibus per inferius guttur, aliquando ab Opii uſu obſervatis, mutatis tamen mutandis applicari poſſunt. Sed præter aliqualem ab acrimonia nauſeoſa in particulis ejus viſcidis inteſtinorum ſtimulum, alio modo alvi ſolutionem promovere poteſt, quatenus in doloroſis inteſtinorum pathematis, eorumque fibrarum ſpaſmodica contractura, conſtringi pertinacius ſolent inteſtina, & contenta minus; ceſſante fere ſucceſſive eorum periſtaltico motu propellere. Fruſtra ſub tali articulo propinantur ſolventia alvum, quæ vel malum exaſperant ſenſili ſtimulo, absque deſiderato effectu, vel inverſo penitus ſuperiorum inteſtinorum motu, vomitum potius provocant. Sin vero Opio leniantur dolores, ut remittat inde fibrarum ſpaſmus & durius antea emolliatur quaſi abdomen, facile ſolutiva quæcunque, ſive junctim, ſive ſeorſim modo dicta remedia propinentur, ſperatum ſortiuntur effectum; id quod in Colicis & Iliacis Pathematis probe obſervandum, docente hoc experto *Wedelio:* Opiolog. p. 2. ſ. 2. c. 5. p. 120. & praxi idem confirmante, *in Miſc. Acad. Nat. Cur.* anni 2. obſ. 238. p. 340.

5. Vrinæ excretionem, eamque poſt eam quæ fit per ſudorem, Opiatorum uſui ſubinde ſupervenientem, uberiorem, quomodo per accidens promoveat Opium, jam ſupra §. 23. c. 2. pluribus explicatum fuit.

6. Revocant hæc in mentem iſtud Phænomenon, quod ſæpius in puerperis obſervare datum fuit, dum nempe primis duobus vel tribus diebus libere fluunt lochia, quæ ſub turgeſcente in mamillis lacte ſponte, absque manifeſta cauſa alia, ſive præceſſerit lactea febris, ſive non, ſupprimi ſolent, tunc ſcil. temporis, dum dolere & tumere, ſimulque indureſcere ſolent mammæ: ſed ceſſante dolore & vel inſenſibiliter translato aliorſum lacte, vel ſenſibiliter per papillas tranſudante, libere fluunt denuo Lochia. Nempe doloris occaſione intenſioris, in ſenſibili illo mammarum globo, & turbatur ſpirituum ordinatus motus, ſtringuntur undique in corpore fibræ, & tenduntur ſimul uteri ejusque membranoſæ vaginæ fibrillæ, hinc excernendorum per hæc loca debitus ſupprimitur

 fluxus,

fluxus, qui largiter redit, ſimul ac ceſſante in mammis dolore, ceſſat etiam fibrarum contractura. Nec eſt, quod fluidorum iſtorum impetum ex locis inferioribus ad mammas hic objicere velis, ſiquidem dum durat adhuc mammarum repletio, aut per papillas etiam lac excernitur, nihilominus, modo dolor illarum remittat, redit lochiorum profluvium. Par nempe hic eſt ratio, atque intenſiorum poſt partum dolorum, quorum occaſione etiam ſupprimi plus una vice obſervavi lochia. Vnde & memoratis in caſibus (niſi in priori Lactea febris obſtet) opiata cæteris remediis, ſpeciatim miſturæ polychreſtæ ex Lap. 69. c. aceto addita myrrha, permiſcere fauſto cum ſucceſſu conſuevi, cujus uſu reſtituto ſpirituum motu in ordinem, & relaxatis hinc fibris, tantum abfuit, ut ſuppreſſus exinde fuerit purgamentorum fluxus, ut auſpicato potius redierit.

7. Simile quidem obſervare licet in infantibus achoribus affectis, quibus ſub dentitionis doloribus, mox achores diſparere ſolent, ſuperveniente hinc febre continua lymphatica, plus minus acuta, ſubinde cum gravi tuſſi, aut alvi fluxu comitata: ſicut ceſſantibus doloribus iſtis, efflorеſcere denuo auſpicato, cum febris aliorumque ſymptomatum ceſſatione ſolent achores. Nempe doloris occaſione inordinatus ſpirituum redditur motus, & fibræ aliarum quoque partium ſenſilium præſertim intercutaneæ iſtæ in facie, ceu proxima regione ſtringuntur, indeque achoroſæ materiæ ulterior excretio impeditur, iſto quod jam effloruerit exareſcente penitus & decidente. Hinc turbatur ſimul ſanguinis tam progreſſivus quam fermentativus motus, excernendis iſtis per faciei ambitum retentis, febrili ebullitioni occaſionem ſubminiſtrantibus, ac tuſſim vel diarrhæam inducentibus, ubi de acriori illo acido ⊖ſa lympha vel ad tracheam arteriam vel inteſtinorum tubulos aliquantulam excretum fuerit; Donec ceſſante dolore, & æquabilis ſpirituum redeat motus, & ordinata magis fermentatione ſanguinis mediante particularum iſtarum acido ⊖ſarum plus minus viſcidarum ſecretio & quaſi præcipitatio, ac intra poros cutis per glaudulas ob denuo relaxatas fibras ſecretio ſuperveniat.

8. Tan-

8. Tandem Opium egregium eſſe ſudoriferum ſupra pluribus excuſſimus, dubium tamen aſſertum hoc reddere videntur tabeſcentes. Notiſſimum eſt, Phthiſicos, vel ad Phthiſin declinantes ægros, copioſis ſudoribus nocturnis eſſe obnoxios, ita quidem, ut ſimul atque perfecto ſomno corripiantur, mox toti ſudoribus diffluant. Obſervatio autem repetita in Praxi me hactenus docuit, præcaveri optime poſſe ſudores hujusmodi, revera colliquativos, Opii veſpertino uſu. Aliquot ſaltem exempla recenſere juvat: Mulier plebeja 42. annorum pleuritide graviſſima correpta, & jam fere deplorata, ſeptimo ſcilicet demum die opem meam implorans, per Dei gratiam ſudoriferorum inprimis appropriatorum ope convaluit. Reſtitabant autem adhuc Tuſſis humida, difficilis nonnihil reſpiratio, aliaque ſimilis ſpeciei ſymptomata, Phthiſin minitantia, quæ uſu decocti heder. terreſt. & cherefolii ſublata quoque fuerunt. Saltim ſudores nocturni continui, pleno rivo emanantes, emaciantes inſigniter & debilitantes ſupererant. Pro quibus coërcendis præſentaneam opem ſenſit ex Laud Op. gr. iß. cum antihect. Poter. gr. XV. miſto, & ſub introitu lecti, poſt moderatam prægreſſam cænam aſſumto, cujus uſu primitus ceſſarunt iſti ſudores, eoque continuato penitus exaruerunt. Superiori anno Civis academicus, Jurium ſtudioſus, graviſſima corripiebatur hæmoptyſi, ipſo ex aliquot annorum tuſſi humida, ſpiritu minus libero, nativa corporis conſtitutione, aliisque ſimilibus ſupervenientibus ad Phthiſin diſpoſito. Vſu convenientium remediorum, contumax malum ſævire deſiit, ipſo ægro cætera commode habente, ſaltem quod calor quaſi hecticus ab omni paſtu, cum tuſſi moderata humida, & copioſiſſimis ſudoribus nocturnis etiam ſub primis ſomni horis, ſupereſſent. Pro quibus coërcendis optime contulit pulvis, ex arcani duplic. ℈ij. Lap. 69. antihect. Poter. ana ʒß. Laud. opiat. per ferment. gr. IV. ad V. M. pro 4. doſibus horis duabus ante cœnam aſſumendis. Non ſecus ac Viro perfecte Phthiſico, pro tusſi nocturna aliisque ſymptomatis nonnihil coërcendis præſcriptæ Pilulæ, ex antihect. Poter. ℈j. ſacch. Saturni ℈ß extr. croci gr. vij. laud. ferment. gr. iij. cum ſ. q. balſ. Peruvian. in debitam conſiſtentiam redactæ, pro 2. doſ. veſpertinis

nis, ante cœnam aſſumendæ, præter alios uſus, & ſudores copioſos noctu promanantes compeſcuerunt. Adeo ut talibus in caſibus reprimat ſudores Opium nimios, quos deficientes alias promovere optime ſolet.

9. Pro hoc Phænomeno, ſane difficili, dilucidando, duo præſupponenda veniunt. 1. Quod Phthiſici omnium optime, Opiatorum, etiam continuatum, uſum ferre poſſint, ut ſupra inſinuatum fuit, & cum eadem alias aliqualem languorem, & notabilem corporis laſſitudinem poſt ſe relinquant ut plurimum, in Phthiſicis contrarium accidat, qui vegetiores exinde, &, ut ipſis ſaltem videtur, robuſtiores potius redduntur. Quo ipſo tamen, non illos intelligo, qui jam ad extremum Tabis gradum perducti, ſuprema ſpiritus difficultate laborant, & ſubinde ſuffocandi videntur, talibus enim narcotica omnino futura eſſent necrotica, ſed qui in Chronico & Medicis tædioſiſſimo affectu, medio adhuc ſunt in gradu. Scilicet in præfatis Phthiſicis ſubtilis admodum, ac rara deprehenditur ſpirituum animalium textura, unde & facile diſſipabiles exiſtunt iidem, (indeque minimis motibus defatigantur tales ægri,) & ſub ſomni præſertim quiete contractiores magis illorum radii, minus extremas partes animant. Mutat autem eoſdem Opium, dum condenſando quaſi, aut figendo nonnihil, raram eorum texturam alterat, & facilem diſſipabilitatem coërcet, ut vegetiores hinc reddantur Phthiſici. 2. Quod in genere ad fluidorum corporis noſtri debitam in partes ſolidas receptionem, per eaſdem transmiſſionem, uti & ex iisdem excretionem, requiratur omnino certus fibrarum nervearum, ceu ſtaminum fundamentalium Tonus, ultra materialis texturæ rationem, a ſpiritibus influis inprimis dependens, qui ſcil. nec ſtrictus ſit nimis, ne anguſtatis aut occluſis plus minus poris intermediis, aut coarctatis præter modum vaſculis tam trajectoriis quam excretoriis, impediatur debitus contentorum tranſitus, nec laxus nimis idem eſſe debet, ne flaccidioribus redditis partibus, aut pori meatusque earum ita permeabiles fiant, ut non tam tranſmitti fluida, quam ſpontaneo motu permeare eos undique, & ubique ceu per ſpongias penetrare vi-

videantur, aut orificiola vaſculorum receptoriorum ex tono illo flaccidiore collabantur, ac ita debitam tranſmiſſorum fluidorum trajectionem ſiſtant. Quibus præmiſſis, & ab omnibus facile concedendis, ſuſpicor, in Phthiſicis tam copioſos effluere ſudores nocturnos, quatenus ſub ſomni quiete, ſpiritus animales, rarioris, ut ſupra dictum, texturæ, minus irradient partes extimas, adeo ut debito fibrarum Tono conſervando minus ſufficiant, unde per patentiores undique meatus, & poros partium intercutanearum, & ſpeciatim glandularum, nutritius ſuccus interdiu ex alimentis congeſtus, ſed ob ſanguinis dyſcraſiam non aſſimilatus, ſponte ſua, ſub ſanguinis circulo (ſimili fere ratione, atque ſupra de ſyncopticis monitum) penetret, & ita nec cum ſanguine unitus, nec in meatibus partium ſolidarum debite coërcitus, promptiſſime, qua data porta ruat, & ſub ſudoris facie diffluat. Compeſcit vero hunc Opium in Phthiſicis corrigendo iſtam ſpirituum texturam, ut Tono fibrarum conſervando melius ſufficiant, quo partim tranſmitti naturaliter queat nutritius ſuccus cum ſanguine per vaſcula intercutanea & meatus, ne proprio impetu elabatur, partim retineri diutius intra porulos partium nutriendarum is ipſe, eosdem irrorare & nutritioni deficienti aliquantiſper ſic ſaltem ſuccurrere.

10. Dum itaque ſudorem egregie promoveat, quin&, ſecundum ſuperius monita, nimios contentorum tumultus, quibus Naturæ Medicatricis negotium, non raro turbari ſolet, nonnihil refrenet laudandum Opium, ſuſpicio ſuboriri poſſit, an perpetuæ ſit veritatis Practicorum effatum, *Opium inſtante Criſi haud adhibendum, quia Criticum Naturæ motum inhibere aut ſiſtere ſoleat.* Multa equidem de Criſibus, eaque ad pompam magis Theoreticam, quam uſum practicum facientia, hinc inde apud ſcriptores medicos deprehendi ſolent, quæ ad noſtra Climata, eorumque Incolas & horum Diætam, indeque natos affectus minus applicari poſſunt, unde etiam tam rari ſunt veri motus Critici in ægris noſtris, ut taceam incertum admodum dierum Criticorum computum, adeo ut bonus Medicus negligere debeat Criſin, ut loquitur *Helm.* de febr. c. XI. §. 18. ſi ſcil. eam poſſit anticipare,

ſeu

ſeu ante Criſis adventum morbus ſuperare. Nihilominus cum ad quælibet attentum deceat eſſe Medicum, in acutis maxime morbis, quorum incertæ adeo ſunt, *Hippocrate* autore, prædictiones, ne in his circa Opiatorum uſum, adeo polychreſtum, nocumenti quin accidat ægris, omnino præcavendum. Diſtinctio autem motuum Criticorum obſervanda eſt, dum quædam excretiones Criticæ fiunt, mediantibus ſimul partibus organicis, quibus vellicatis, adeoque ſenſu earum affecto, & hinc periſtaltico concitato motu, provocantur partim, partim promoventur per eas excretiones, & tales quasvis Criſes impedit, plus minus ſiſtit Opium, quales ſunt, quæ vomitu, diarrhœa, hæmorrhagiis quibusvis accidunt, &c. Aliæ Criticæ evacuationes eveniunt ſine tali partium activo & motivo concurſu, per ſimplicem humorum concoctorum ſeu præcipitatorum motum tranſcolatorium, quales per ſudorem, item per urinam obſervantur, & haſce Criſes, minus impedire arbitror Opium, dextre & circumſpecte adhibitum. Quinimo promovere potius eas, quatenus graviora ſymptomata, motum contentorum Excretorium interdum impedientia, ſaltem plus minus turbantia ſiſtere, & ita tutiorem ad minimum Criſin reddere valet. Idem aſſerendum videtur de iſtis Criſibus, quæ per tranſpoſitionem fiunt, & quibus tumores ſuperveniunt, has ipſas, & materiæ ad ſui in certis locis ſecretionem, & inde coacervationem diſpoſitæ decubitum, qui impedire valeat Opium, non video. Circulari enim ſanguinis motu mediante, cum omnes modo memoratæ contingant Criſes, eumque rapidiorem, aut concitatiorem refrænet Opium nonnihil, hoc ipſo ad meliorem cum ſudore & urina excretionem, vel in apoſtema congeſtionem materiæ coctæ non parum conferre veroſimile eſt. Intermittentium febrium quot paroxyſmi, tot parvi morbi acuti eſſe videntur, ordinario fere excretione quaſi Critica per ſudorem, interdum vero per urinam finientes: præmiſſum in his, ante paroxyſmum Opium, ſpecificis antifebrilibus, ut multum minuere ſolet paroxyſmos, interdum penitus profligare, haud tamen ſudorem in illis coërcere in fine, aut impedire obſervatur.

11. Eo

11. Eo ipſo autem, quod ſudationem ſaltem promoveat Opium, raro illo ſolo pro ſudorifero utendum erit. Haud enim ſufficit, quod Cutis Cribrum ad tranſcolationem per meatuum aperturam & aptam diſpoſitionem rite ſe habeat, niſi & ſanguinis alteratio ac quaſi fuſio, ambientisque debita temperatura una conſpirent. Ob id appropriato ſudorifero, quacunque forma exhibendo, ſociandum, & ita mutua unione utriusque operatio & effectus eo magis perficiendus. Opii nempe polychreſtus alias uſus ad ſudorem ſic ſpecialius determinatur, ſudoriferorum vero operatio, ne ſit fruſtranea, præcavetur. Obſervavit hoc jam olim feliciſſimus *Platerus*, & ob id *in Obſerv. ſuis l. 3. p. 633. & 727.* ſudoriferis narcotica ſe addere ait, pro uberioris ſudoris provocatione. Quin imo hoc Veneranda antiquitas, in Theriaces Mithridatiique compoſitione ac præparatione attendiſſe videtur, Opium inſigni in doſi, cæteris quamplurimis ingredientibus, plus minus ſudoriferis addendo, & una fermentando. Sub quo fermentationis motu inteſtino, tam oleoſæ & reſinoſæ, plurium ingredientium ipſiusque adeo etiam Opii particulæ attenuantur & reſolvuntur, ut inde penetrantiores ac magis activæ evadant, (unde & ad decennium fermentationem extendere voluerunt Arabes) quam novum concretum ex mutuæ confermentationis unione, ⊖inum vol. ☍ ſum anodynum & ſudoriferum emergit. Quod adeo rigoroſe urgent *Platerus in Obſ.* & *Walæus in Meth. medend.* ut illas compoſitiones absque Opio, ceu ſua anima, vi ſudorifera carere aſſerant.

12. Ex hactenus allatis facile eſt intellectu, quibus in caſibus Opium ſudoriferis ſociandum ſit, nempe quandocunque ſymptomata urgentia impedimento ſunt, quo minus ſudare queant ægri. Nullum enim ſymptoma urgere ſolet, quin ſpirituum animalium p. n. impetus vel cauſæ efficientis proximæ vel concomitantis ſaltem rationem habere ſoleat, unde de facili occaſione tali contrahi fibræ cutaneæ, & coarctari excretorii pori poſſunt: ut taceam M. Sæ cœterorumque contentorum, vel perturbatos inteſtinos, vel concitatos nimis locales motus, ſub tali ſtatu ſimul plus minus ſudoris dimiſſioni reluctantes. Frequens ſcilicet cauſarum efficientium, utut ſubinde

 mutuo

mutuo ſubordinatarum obſervatur Circulus in Oeconomia animali, adeo ut & contentorum vitia plus minus vellicent partes ſolidas, qua occaſione irritantur ſpiritus, quorum impetus poſtmodum plus minus modificat illorum motum. Qualis circulus non minus manifeſtus eſt, in mutuo partium conſenſu, dum ſtomacho frequenter condolet caput, & hoc male habente ſtomachus propriam ſubvertit Oeconomiam. Pariter & frequentiſſime quibusvis urgentibus ſymptomatis, per conſenſum affecta cutis, claudit poros, ſudorisque obturat fontes.

13. Varias autem inter partes, quibus conſentire ſolet cutis, ſpecialem ſui conſiderationem merentur præcordia, hoc eſt iſta abdominis pars, quæ extrinſecus quidem regione epigaſtrica & ex parte hypochondriaca circumſcribitur, intrinſecus vero ſtomachum inprimis complectitur, prout hodie hæc Vox accipi ſolet: & a *Celſo* inprimis *l*. 2. *c*. 3. fere deſcribitur. Utut enim Doctisſimus *Fernelius* febr. l. 4. c. X. præcordiorum nomine, ventriculum, diaphragma, jecoris Cava, lienem, pancreas, Omentum aut meſenterium ſimul complectatur, tamen Ventriculo ob eximium ſenſum, manifeſtum ejus cum cæteris partibus membraneis conſenſum, primario præcordiorum appellatio convenit, ipſo ejus orificio, communiter ſuperiori dicto, καρδία Veteribus appellato. Vnde & *Celſus* præcordiorum dolorem ſtomachi infirmi indicium afferit: l. 1. c. 8. *Hæc ipſa præcordia*, ut modo laudati *Trium Galliæ Regum Archiatri* verba c. l. mea faciam, *& partes omnes quæ circa hæc ſunt, quia membranis ſepiuntur, nervosque ſentientes ſuſcipiunt a ſexta* ſecundum Veterum Anatomicorum ordinationem) *Cerebri conjugatione, eximio tangendi ſenſu ſunt prædita; Magna etiam ſocietate tum principibus, tum externis corporis partibus connexæ ſunt, iisque adeo conſentiunt, ut affectæ mox principes partes, univerſumque corpus in conſenſum trahant. Si enim Vinum meracius, liberaliusque ſumtum, tametſi Ventriculo nondum elapſum eſt, mox tamen exulceratæ Veſicæ, aut vulnerati Cruris, aut arthritidis dolorem exaſperat.* Ex hiſce autem ſedibus febrium horrores rigoresque, in quibus cutis manifeſto afficitur, ſuſcitari eleganter idem docet *Fernelius*, dum c. l. ita pergit: *Sic & frigidæ potus liberalior, corpus*

pus univerſum frigore horroreve concutit. Bilem vomiturus rigeſcit, multoque magis, qui alienum vitioſumque cibum, velut fungos ſumſit. Rigeſcit & cui calidum mordaxque medicamentum ventriculum præcordiaque ferit, non minus quam ſi nudam cutem, aut ulcus acrius compungat. &c. &c. Hoc quoque vel inde conſtat, quod ſi acceſſionis initio humidi fotus, apte calentes, præcordiis imponantur, maxime vero Lieni in quartana, jecori in tertiana, aut cuicunque alii ſedi fomes ineſſe deprehendatur, horrorem rigoremve leniant, quia nimirum ipſi mali fontem demulceant. Jam vero ſudores, non e ſolo corporis habitu, ſed & interdum e præcordiis moveri, hinc ſciri poteſt, quod qui vel exercitatione, vel ☉ ardore exæſtuat, ſi frigidam liberalius bibat, mox totus ſudore diffluat: &c. &c. Hæc ipſa ſane, quæ hactenus eleganter diſſeruit *Fernelius* de præcordiorum cum habitu corporis cutaneo præſertim conſenſu, quotidiana ubertim confirmat experientia, & quod de fotu calente refert, comptior moderna Praxis per ℴℴa Ωta felicius præſtat, quatenus ab his, præſertim penetrantioribus, v. g. caryophyll. aut macis, aut cinamom. præcordiis illitis, fotu lateris calentis deſuper admoto, rigores horroresque manifeſto imminui, interdum ab iis mature applicatis penitus præcaveri, obſervamus. Penetrant enim profundius talia ℴℴa Ωta, & ipſum ventriculum ſui quaſi afflatu tam ſenſibiliter afficiunt, ut meminerim, ſuperiori anno crebrius vomentem ægrum, cui Ωta talia, ℴℴo nuciſtæ expreſſo excepta ventriculi ſeu præcordiorum regioni frequentius illinebantur, ſponte ſua aſſeruiſſe, ſe in rejectaneis illis per vomitum, linguæ judicio exacte ſentire linimentum illud, cujus odorem ſub illinitione alias perciperet. Jam vero in iſtis rigoribus horroribusque cutanearum fibrarum contracturam, clauſuramque pororum ſimul contingere, nemo facile dubitabit.

14. Prout itaque diverſimode afficiuntur præcordia, etiam ipſe habitus corporis cutaneus per conſenſum multipliciter conſtitutus, adeoque ad ſudoris tranſmiſſionem magis, minusve diſpoſitus erit. Mirabilis ſane eſt membranoſi generis in univerſa corporis machina connexio & conſenſus, mutuaque hinc, quoad tam actiones quam paſſiones conſpiratio & concentus, iis in caſibus,

in quibus anatome nondum lucem ſubminiſtrat ſufficienter, adeo obſcura, ut etiam *ignotam actionem regiminis*, ingenioſiſſimus alias *Helmont* fingere coactus fuerit. Ex quo conſenſu etiam naſci videntur horrores iſti rigoresve, qui ex partium membranoſarum abſceſſu, ſponte ſua rupto, ordinario ægros affligunt, ruptique abſceſſus haud poſtremi indices ſunt: membranis ſcil. perforatis, pus factum effundentibus, ſicque ſenſibiliter læſis, cætero membranaceo genere conſentiente. Sed ut revertar in viam, illa inter pathemata, quæ ex præcordiorum conſenſu ſudoris effluvia cohibent, eminent vel maxime inexplicabilis illa circa præcordia, ſeu ſtomachi regionem moleſtia, ſeu anxietates, quas *vulgo* Hertzens-Angſt appellitant, quaſi ipſum cor pateretur primario; quæ frequentes videntur occaſiones, pororum contracturæ, ſudorisque ob id deficientis in morbis præſertim acutis malignis. Sæpius ſcil. in praxi malignarum febrium obſervamus, æſtuante maxime corpore, ægro ipſo copioſius bibente, ſtragulis etiam cooperto, cum pulſu celeri, frequenti, plus minus vehementi & magno, (ut nihil dicam de illis, qui malignis in febribus, quoad urinam, calorem &c. ſanorum ſimiles apparent) nullum ſudorem, etiam poſt propinata ſudorifera elici poſſe, cute ſemper ſqualida & arida, ac quaſi nonnihil corrugata exiſtente, ægro alias naturali in ſtatu, facillime ſudante. Jam equidem concedendum eſt, alteratum his in febribus eſſe inſigniter ſanguinis ſtatum, impedientem plus minus laticis pro ſudoris materia ſeceſſum: quod tamen hæc ſola, in tali ægri, præſertim ſiticuloſi ac bibacis, ſtatu, tali cum pulſu &c. cauſa ſit, denegati penitus ſudoris, equidem perſuadere mihi haud poſſum, quin potius arctior fibrarum cutanearum ſtrictura, & hinc pororum clauſura videatur ſudorem impedire. Nempe ventriculo, ejusque ſuperiori orificio male affectis, ſpeciatim fermento maligno, contagioſo obſeſſis, ut anxii, inquieti, & agrypni, ſine manifeſta cauſa redduntur ægri, ita tantum non integrum membranoſum genus conſentire, hinc & cutaneæ fibræ contrahi videntur. Diffuſo vero ulterius maligno fermento, & ſyſtema nervorum plus minus afficiente, eo magis & nervea cutis compati, hinc portas quaſi undique claudere, & ſudori quoque tranſitum pertina-

tinacius denegare pergit. Unde fermento maligno, quod acidum ſtatuit, ab alcalibus fixioribus abſorpto, relaxari pororum contracturam corpusque denuo tranſpirare, non ineleganter aſſerit *Tachenius:* H.C. c. 21. p.m. 165. 167.

15. Sed quod de præcordiis, fermento venenoſo in febribus malignis obſeſſis, modo monitum fuit, cujus hoſtili præſentia anxietates ipſis ægris non explicabiles, inquietudines, agrypniæ excitantur, & per conſenſum hinc pororum corporis contractura inducitur, ulteriorem poſtulat explicationem. Nempe præ cæteris affectibus, perquam contagioſæ exiſtunt maligniores febres, quæ contagia fermentativa, vel fermenta contagioſa, utrumque recte dici videtur, quæ inſpirationis medio, ut plurimum ſe nobis inſinuant, quascunque etiam alias corporis partes afficiant, ſemper ſimul ventriculo communicantur, indeque nunc citius, nunc tardius, pro circumſtantiarum tam in agente quam patiente differentia, nauſea, inexplicabilis quædam circa præcordia moleſtia ſeu anxietas, alvi etiam conſtipatio, ſitis intenſa, vagus, utut primitus leviuſculus, horror, (ut taceam cephalalgiam & agrypniam, nunc citius, nunc tardius ſupervenientes) ægrum affligere ſolent, horrente univerſo nervoſo ſyſtemate inimicam impreſſionem, circa ſtomachum factam, & quaſi undique contrahente ope motoris ſpiritus quosvis meatus, quo ab hoſtis peregrini inſultu, eo melius ſe tueatur. Contagiorum hunc afficiendi modum, expertus inſinuat *Lindanus diſc. ſuper Hartm. prax. Chym.* dum inquit: *Ita autem propagari contagium, ego experimentis didici, tam in me ipſo, quam in aliis; Miaſma ſcil. fuiſſe primum attractum in ventriculum, & ſtatim nauſeam ſubſecutam. Nauſeam autem ſupervenire eſt bonum, ſignum enim eſt, non ſtatim tranſire ad maſſam ſanguineam; & in conſtitutionibus epidemicis notandum neminem nauſeare, (niſi forſan ex ingluvie) niſi qui miaſma acceperit, & ſi adeſt nauſea, mox vomitus provocandus.* Hinc etiam febrium malignarum ſedem principalem in ventriculo eſſe, res confeſſa eſt, apud *Bartolinum cent.* 3. *epiſt.* 42, *p.* 156. pariter ac apud *Helmontium, Tumul. peſt.* p. m. 843. 967. 891. *conf. Bartholinus cent.* 3. *hiſt.* 68. 80. 50.

it. Diemerbrock. de peſt. l. 4. hiſt. 15. adeo ut ſemper fere in febribus malignis ventriculus vel Eſcharam vel inflammationem, vel alia hujus cenſus contraxiſſe, obſervatus fuerit. Propterea etiam tam in malignioribus, quam peſte ipſa, ſi contagii ſuſcepti ſuſpicio ſit, initium curæ a vomitorio optimo cum conſilio inſtituitur. Sane ſi ægros tales in morbi progreſſu anxietatibus, inquietudinibus, jectigationibus, cephalalgiis, &c. affectos interroges, in quanam corporis regione ita male habeant, wo ihnen denn ſo angſt und bange ſey, epigaſtrium intento digito monſtrant, & hoc ipſo Medico inſinuant, ventriculum inprimis peſſime affectum eſſe, per cujus conſenſum & capitis membranæ tendi, caputque hinc diverſimode dolore videtur: qua occaſione & cutis contrahi poros ſudoremque ſupprimi probabiliſſimum eſt. Exinde enim in variolis, purpuris, petechiis, &c. anxiis & hinc inquietis exiſtentibus ægris, vix ac non niſi imperfecte, cutaneæ excretiones ſuccedunt. Nempe ut membraneæ ſub epigaſtrio partes tendi, ex fibrarum irritatarum ſpaſmo tali ſub ſtatu ſolent, quod ipſi interdum fatentur ægri, es ſey als wenn alles darum voll ſey und thone, ita & per conſenſum cæteræ membraneæ partes tendi, ut ſupra ex *Fernelio* deductum fuit, hinc & cutis pori ſimul per tenſas & contractas fibras coarctari ſolent. Pro quibus ſymptomatis mitigandis Opium optimo cum conſilio ſelectis additur, vel ſudoriferis, vel alexipharmacis, de quo cum ſupra jam actum fuerit, vela hic contrahimus, & diſſertationi præſenti imponimus

FINEM.